DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE REGIMINE,

Quam
FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE, &c. &c.
IN ALMA REGIA ET ELECTORALI FRIDERICIANA
GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
PRÆSIDE
DN. GEORGIO ERNESTO STAHLIO,
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.
Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni observantiæ cultu prosequendo
PRO GRADU DOCTORALI
Summisque in ARTE MEDICA Honoribus Insignibus ac Privilegiis More Majorum Solenni obtinendis
IN AUDITORIO MAJORI,
Ad diem Sept. A. MDCCVIII. horis ante & pomeridianis
Publicæ Eruditorum ventilationi proponit

JOHANNES CHRISTIANUS KUNDTMANN,
Vratislavia-Silesius.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.

ILLUSTRISSIMO ATQUE CELSISSIMO
COMITI AC DOMINO,
DOMINO
JOACHIMO
WILHELMO,
Sacri Romani Imperii Comiti
DE MALZAN
LIBERO BARONI
DE WARTENBERG ET PENZLIN,
DOMINO HÆREDITARIO
LIBERÆ DYNASTIÆ MILCENSIS IN SILESIA.
DOMINO
IN MILITSCH, FREYHAN, GROS-PETERWITZ, PINXEN PROSKOWA
&c. &c.

COMITI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

Disputationem hanc Inauguralem

humillime & submisse

D. D. D.

JOH. CHRISTIANUS KUNDTMANN.



PROOEMIUM.



On magnas efficiunt artes, qui falsa circà illas jactare suscipiunt, sed illi solùm, qui, quod in qualibet arte revera inest, illud pervestigare & eruere sat agunt. Hæc certe sententia, quam *Isocrates Declamatione contra Sophistas* pronunciat, habet revera quod omnibus modis laudare atque sequi expediat. Non est quod longè petamus hujus rei documenta, cum domi affatim habeamus, in ipsa inquam *Medica* arte. Mirari merito subiret, unde multis mortalium, tam præceps impetus, non solùm ad capessendam artem Medicam, sed etiam revera ad illud ἀλαζονεύεσθαι, *jactandum*, *lasciviendum*, & quasi *luxuriandum* circa illam, tam familiariter ingruat; nisi partim experientia antiquissima, jam ipsi *Hippocrati* increpita, tanquam tralatitium jus hujusmodi insaniæ, ceu authoritate quadam tueretur: partim etiam ratio ipsa occasionem manifestaret duplicem: primò nempe, avidam credulitatem, & cœcam spem, mirifica perpetrandi, à fluxis antecessorum largis pollicitationibus ita temerè incitatam; secundò, hominum patientium vanam fiduciã & credulitatem, temerariis promissioni-

ſionibus longe facilius auſcultantem, quam ſeverioribus cohortationibus, & periculorum præſagiis obſequentem. Quis enim non malit, pollicitationem, *citò, tutò* & *jucundè*, omni periculo defungendi, audire, hilari inſuper atque promptâ fronte, & ſecurâ quaſi mente propoſitam; quam auſteriorem, aut certè timidiorem, omni modo vero ſeriam, prædictionem *periculi*; interdictum vitandæ liberæ imo frivolæ & indulgentis, vitæ rationis: præfixionem longioris ambitus temporis: præſcriptionem ſapidiorum medicamentorum: imò obſequii cujusdam, in majori continentiâ, exactionem. Interim illud quod has res quam plurimum larvat atque obnubilat, ſimul atque ſagacius deprehenſum & agnitum fuit, cadit propemodum levis illa fiducia, & ſubit animum ſolertior æſtimatio verioris, & neceſſariæ imprimis, agendi rationis. Fit hoc, inquam, quando patientes inventum illud callidum perſentiſcunt, quo promiſſores illi, etiam *leviora* quælibet in *majus* exaggerant; aut *robuſtioribus*, & *ſpontè* quoque feliciſſimè convalituris, mirificè à ſe latam opem extollunt: & hujusmodi omninò exemplis ut optimè à ſe geſtarum difficillimarum rerum, impotentiam deinde ſuam in verè ſeriis rebus & neceſſitatibus, abſcondunt. Interim revera etiam ex ſe ipſo, male moratis hominibus, *neceſſitas*, ita & non aliter, & quidem non æque ad votum *commode* atque *facilè*, ſperandæ curationis, ita paſſim moleſta eſt, ut etiam jam non obſcure agnitis fraudibus denuo aurem præbeant, & ſi nihil aliud poſſint ipſo effectu, tamen malint phantaſia, jactatis facilioribus ſi non fidere, tamen credere, & calculum votivum ad minimum, adjicere. Interim, ut omnino veritas non niſi una res eſt, fir-

firma atq; constans, vanum autem quidlibet, revera indecorum etiam est, & merito damnandũ, ita manet meritò certum atq; ratum, quod illi soli, non vanam & affectato titulo eximiam *magnitudinem*, sed justam *mensuram*, veros *terminos* atque *limites*, *Medicæ* etiam arti vindicent & constituant, qui, quod in illa *certi* inest & *constantis*, ἐξευρεῖν, reverà tanquam *ex occulto reperire*, *evolvere*, *elicere*, & *eligere*, cordi habent, imo non volunt magis quam possunt. Utpote è qua & scientia atque peritia, & industria, tum illud quod verum & verè utile est, demum recte elucescit atque stabilitur: tum etiam quod inutile, & non solum incertum, sed passim etiam anceps in pejus est, ita evitatur, ut temeritati & inscitiæ omnis locus præcludatur, solis autem utilibus occasionibus rem feliciter gerendi dignitas sua asseratur. Certè si artis, seu potius *Doctrinæ* Medicæ faciem, tàm antiquissimam intueamur, quàm propiorem etiam solertius inspectemus, invenimus exempla tanquam in utrumque latus vacillantia, fide propemodum majora. Veteres quidem, ubi praxin tanquam historice commemorant, sic satis fideliter occupantur in laudanda *Naturæ* συνέργεια & notanda debita ejus observatione, imo remediorum ad illam *subordinatione*. Quando verò de *medicamentis* tanquam ex instituto loquentes audimus, indulgent propemodum ita absolutis horum encomiis, ut nulla mentione exquisitarum illarum præsupponendarum circumstantiarum, his velut *illimitatam directam* atque *liberam* ἐνέργειαν, asserere videantur. Recentior autem ætas ejusmodi in hoc genere protulit Rhetores, à *Paracelsistarum* quidem impudentia, tanquam fungus è putrido ligno primò enatos, cæterum etiam circà omnia *simplicia*

& *inertia*, cum istis audaciâ loquacitatis certantes, ut jam propemodum *Methodi* ullius, dignitas, ne dum *necessitas*, vere tanquam in oblivionem tradita: ne dum *Avtocraticæ* potestatis Naturæ, *sine omnibus externis artificiis sibi ipsi potentissime consulendi* ἐνέργεια, penitus proculcata observetur. Cum autem hæc ipsa *Avtocratica* naturæ methodus, per justas intensiones proportionatas Vitalium actionum, etiam sine externis adminiculis, noxas sui corporis depellendi, res sit vel pagano etiam homini maximi æstimanda; utique nempe primò Conditori oeconomiæ hujus artificiosissimæ tribuenda, & tanquam *sancta* institutio, ut insuper *sapientissima*, agnoscenda; quam imprudenter negligere, ne dum contrariam illi viam sibi temere sumere, tantò magis Christiano homine etiam indignum sit: non injuria certe protervia πολυπραγμοσύνης intemperantis in viam hic revocatur, & ipsi justissimum illus *Hoc age*, inculcatur. Hæc res, cum eximium certè usum habeat in Praxi medica, placet ejus etiam exemplum aliquod pro SPECIMINE INAUGURALI adsumere, nempe de REGIMINE publicam disquisitionem in medium proponere. Dignetur Deus Ter Optimus Maximus immensa sua gratia nobis adsistere, ut veritate non solùm, sed etiam luculentâ ejus evidentiâ ad nostrum votum, & publicum usum potiamur.

Th. I.

DE REGIMINE dum dicere suscipimus, paucis quidem præmonendum est, quidnam per hoc nomen designatum velimus. Venit nempe *Regiminis* nomine in Schola Medica, peculiaris quædam ægrorum exquisitior *continentia*, *singulari* modo ad *secretiones*, imprimis autem *excretiones salutares*, inserviens. Et hoc tam *po-*

siti-

ſitivis quibusdam *apparatibus*: quam *privativis cautionibus*, certarum inquam rerum *abſtinentiâ*: quin patiente etiam in univerſum, juſtorum ſucceſſuum & decurſuum *expectatione*. Differt autem, primo quam maximè & ultimo intuitu, â ſimpliciùs dicta *Diæta*, medio vero modo, licet partim *diæteticis* moderaminibus innitatur, partim tamen etiam *pharmaceuticis* auſibus & artificiis ita contrario paſſu incedit, ut etiam hac in parte *abſtinentiam* à medicamentis, & imprimis eorundem *copioſiore uſu*, involvat, ad confirmandum ita antiqum illud effatum; quod *optima interdum ſit medicina, nulla medicina uti*.

II.

Habet autem omninò USUM duplicem latè patentem, & prorſus eximium; Primò, dum in caſibus neque paucis, nec exiguis, etiam *citra Pharmaciam* uſus præſtat ſaluberrimos, imò non ita rariſſimè ad *ſummam totius ſalutaris vitalis negotii* pertinentes. Secundo vero, dum in univerſa *Pharmacia*, quatenus magis *ſeriis*, atque *gravioribus* effectibus deſtinatur, tam neceſſarius eſt commodi *Regiminis* concurſus, ut revera ſine hoc, medicamentorum efficacia, vel planè *nulla* ſit, vel nimio *minor* quam decebat, vel prorſus aliquando, â juſto regimini contrarià intemperantiâ, *heteroclitus* iſtorum effectus ſequatur.

III.

Vnde quidem maximè neceſſarius paſſim eſt reſpectus ad illam quaſi præjudicialem conſultationem, AN opus ſit Regimine? Quod certe monitum ut paſſim neceſſarium haberi, imo vero adhiberi mereatur, mores quam maxime temporum efficiunt: Ubi nempè, impudens illa magis, quàm imprudens, jactantia maximi numeri medicamentorum, per omnes grammaticos ſuperlativos & Rhetoricas exaggerationes celebratorum, *poſtpoſito* omni exquiſitioris utendi *methodi* indicio, *Regiminis* nomen, imo potius uſum, propemodum in plenam oblivionem adduxerunt. Unde quidem tantò magis etiam ad ſalvandam adhuc non paucorum remediorum exiſtima-

ma-

mationem, imo fidem, non inutilis certe est illa *quæstio* circà plurima medicamenta, an utique ad illa *peculiari regimine* sit opus, ut ita etiam, *qualenam* illud esse debeat, non solum solerte, sed etiam sollicita, disquisitione, tandem constitui possit seu decerni.

IV.

Quod itaque primi generis Regimen concernit, quod omninò etiam *citrà* medicamentorum *Pharmaceuticorum* subsidia, quam maximum passim usum habeat, & aliquando quidem etiam ad *summam* negotii ita pertinentem, ut etiam totus, neque quidem exiguus subinde, sed vel *periculosus*, affectus, *sola* hujus commodâ observatione seu administratione, superari possit, consistit hoc potissimum in ita moderata continentia, ut *tempestivæ debitæ exonerationes* corporis non solum non impediantur, sed etiam, cum conveniente tamen *proportione*, revera potius *promoveantur*, aut ad minimum *foveantur*.

V.

Proferemus hujus rei exempla *duo*, consideratu certè dignissima, quamvis unum rarissimum & velut obsoletum: alterum tamen præsentissimum, familiarissimum, imo perpetuo justæ observationi obvium magis, quam expositum. *Prius* illud, est famosus ille in Medicorum illi tempori vicinorum scriptis, *Sudor anglicus*, affectus si quis usquam alius ab hominum memoria *pestilentissimus*. Hic cum præcipitis esset *mortiferi* eventus, fefellit omninò, & *Medicorum*, *Practicorum*, atque *Pharmacopolarum*, confidentiam in medicamentis famosis *alexipharmacis* atque *theriacalibus*: Et ipsa etiam vulgi vota & solatia, in *Regiminibus sudorem* importunius evocantibus. Unde quidem promiscuè homines, quot quot hoc morbo corriperentur, intra *horas* non ita plurimas interiisse, unanimes testantur relationes. Postquam autem *tranquilliores* aliqui, *moderatiores*,, imò fortassis etiam *debiliores*, citrâ apparatum ad *positivam* excussionem sudoris, saltim *quietissimè jacendo*, exitum suarum rerum, quem fata decer-

cernerent, expectare in animum induxissent, & sub summa hac patientiâ tandem *spontaneus* sudor, seu potius ingens *vapor*, *fervidus* quasi patientium sensui, erupisset, quo illi in horas, magis magisque, â summis illis *angustiis*, imò, longiore successu, â solenni illo *vitæ periculo* liberari observabantur: promptius utique deinde fuit etiam aliis hoc *Regimen* imitari, & felicissimum ejus eventum ipso etiam effectu experiri: Nempè solâ quietissimâ continentia, sine aliis Medicis artificiis, morbi impetum feliciter evadere.

VI.

Alterum hujus rei exemplar, meritò citamus, *Variolas* & *morbillos*. Hos affectus, cum certè, nisi paucissimis exceptis, omnes *Europæi* (ne quid de *Africanis* dicamus) experiri soleant, tam, inquam *plebeji* atque *rustici* quot quot sunt, quam Regii atque Dynastarum liberi, est certè circumstantia quantalibet attentione dignissima, quod omninò *tenuiorum* illorum infantes, non nisi rarissimi, *ingentia* ab his affectibus *pericula* incurrere sentiantur: magis autem *sollicitè*, imò *superstitiosè*, observatos infantes, & *artis* opinionibus plurimum custodiendi, quam *pessimè* ab his rebus habere, & *mortem* ægriùs evadere, passim notorium existat. Adeò certè, ut reverà è *centum* rusticis, & temperantioribus plebejis, facilè pauciores intereant, quàm è *decem* lautioris conditionis, liberis. Ingens certè *opprobrium*, ante omnia *artis*; Siquidem reverà vix plures, quàm qui *medicamentis* utuntur, intereunt: proximè verò etiam *curiosæ* & *coactæ* observationis muliebris, dum *calore intempestivo*, imò *sudoriferis* apparatibus, hos affectus, præter verum ipsorum genium, graviter perturbando, funestorum eventuum veri *architecti* fiunt. Dum interim *temperatissimum* regimen, & placidos excretionum successus, sub *temporis* decente periodo, *expectans*, illud maximè est, quod tenuiorum infantibus, felicem horum affectuum eventum conciliat.

VII.

Hæc quidem *duo*, ut maximè conſpicua exempla & ſpecimina, in medium producere placuit, Illis autem qui paulò circumſpectiùs animum advertere ſuſceperint, minime difficile erit illud quoque agnoſcere, quod etiam in aliis variorum generum *Febribus*, imprimis autem *contagioſis*, hæc eadem tanquam *ſpontanei regiminis*, atque continentiæ patientiſſimæ, efficacia, non multò minor ferè exiſtat, quam in dictis his ſpeciebus. Quod, inquam, etiam *ſine medicamentorum*, aut qualiumcunque adventitiorum *artificiorum*, interventu, patientes, non ſolùm ad *ſanitatem* revertantur; ſed etiam nihilo *incommodiùs*, certè nihilò *tardiùs*, quàm vel ab optimis *artis* ſubſidiis. Imò, ut nervum totius negotii omninò rectiſſimè exprimamus, omnibus modis *certiùs*, *meliùs*, *citiùs*, *pleniùs*, & *conſtantiùs*, quàm ab ullis etiam optimis *artis* ſubſidiis, ſi illa *ſine* ſatis exquiſito adminiculo planè paris, quale etiam *citrà* artificia *ſalutare eſt*, *regiminis*, adhibeantur. Quandoquidem non ſolùm ſummo utique jure in conſiderationem vocari debent, ſed ſine abſoluta etiam injuriâ, & maximo veritatis damno, negligi non poſſunt, numeroſiſſima exempla tenuiorum, qui â variorum generum, imprimis autem *contagioſis Febribus*, *ſine ullis artificialibus adminiculis*, rectiſſimè convaleſcentes, abſolutè confirmant illud *Celſi*: *multi magni morbi curantur abſtinentia & quiete.*

VIII.

Quemadmodum autem dicta hæc *regiminis* ſpecimina, ſatis tuentur dignitatem *primi*, quem conſtituimus *ordinis*: ita, cum ſimul quaſi animum dirigant ad proportionem *temporis*, ſeu juſtos ſucceſſus, quibus illud, quod hiſce peculiaris continentiæ ſubſidiis promovendum eſt, tam *progreſſum* ſuum tranquillè exequi, quam *finem* attingere poſſit: Venit certe hic neceſſariò conſideranda illa pars *regiminis*, quæ in EXPECTATIONE fundatur; ordinatio inquam quantum

libet

libet voluntariarum dispositionum, secundùm tempora *morborum*, tàm *particularia* quam *universalia*.

IX.

Habet certè hoc institutum, *legitima tempora patienter sectandi*, majorem Usum in vera Medica praxi *methodica*, quam unquam *Theoria*, nisi optimè perita, comprehendere potest. Ut enim nihil dicamus de *tardioribus* opportunitatibus, & per latiora spatia inter se distantibus, *Chronicorum* variorum affectuum; certè in *brevioris* etiam ambitus, imo plane per *paroxysmos*, brevissimas periodos sectantibus, opportunitatis quasi *captatoria expectatione*, opus esse, certum est in omnis generis Febribus: si nempe usquam, vel *artificia* solidiora, verum atque certum usum habere debeant: vel etiam *spontanea salutaris exoneratio*, justum suum & legitimum tramitem persequi.

X.

Hujus rei nulla alia certiora citari possunt testimonia, nisi illa eadem, ad quæ Exc. D. D. Præses, non tam numerosis vicibus, quàm *semel* potiùs solùm, nempe *constanter*, provocat, comparationis nempè Febrium, vel *sine* ullo *medicamento*, saltim debito *Regimine*, *salutariter*, simul autem *regulariter*, decedentium: Imperitè vero, perverso *regimine*, *deteriùs*, quàm ubi plane nihil usurpatur, decurrentium. Ita enim in *firmioribus* quidem subjectis, seu *natura*, ut loquuntur, robustiore, quando *calidiora alexipharmaca*, *versus* Paroxysmos, aut *sub* horum *fervore*, offeruntur, & *sudare*, seu *sudores* post tale medicamentum qualicunque peculiari continentia, expectare quin potiùs *provocare*, jubentur patientes, primò & certissimè omnium, tales inquam, ne vestigium quidem sudoris assequuntur: aut, si sudor illo tempore obsequatur, non solùm *nihil juvat*, sed *exhaurit* quàm maximè vires patientium: imò *pervertit* etiam reliquum totius morbi decursum. Quam maximè verò hoc ita efficit in *sensibilioribus*, aut sponte quasi ad *heteroclitas* commotiones procli-

vibus; adeò, ut talibus, vehemens *exacerbatio* æſtus febrilis, *anxietates* inſolitæ, *inflammationes internæ*, *mentis motiones*, *debilitationes* planè ſingulares, quaſi unâ continua ſerie hinc emergant.

XI.

Dum ex adverſo, illis, in quibus ſervata eſt *opportunitatis* ratio, quæſitæ illæ, verbi gr. *ſudorificæ* ventilationes, non ſolùm nullo negotio aut adminiculo artificioſo, procedunt liberaliter: Sed etiam vix communiſſimis ſubſidiis ſatis obſervatis, nempè, quantumcunque calidiore obtegendi ratione: Sed ſolâ *frigoris* ſecluſione, & tranquilla quietis continentia. Ut de noxiis illis *feſtinationibus*, in acutis *exanthematicis*; de quibus præcedente jam loco verba fecimus, non hic denuò dicamus.

XII.

Sicut autem & materiarum, viarum, & progreſſuum rationes, & opportunitates morbis peculiares, prudenter ſequi, ſecundum hactenus dicta, non poſtremas partes *Regiminis* laudabilis abſolvit; ita adeò certè implexa hic eſt *tertia* illa claſſis, quam conſtituimus, PRIVATIVORUM Regiminum: neceſſariæ nempè paſſim *abſtinentiæ*, ne quid minùs conveniens, imò planè contrarium, ſuſcipiatur. Certè, uti paſſim ingenium humanum, in nullam rem proniùs eſt, imò pertinacius, quam eas, quæ prohibentur; Ita in Medicâ etiam arte, fide majora propemodum ſunt hujus contumaciæ exempla. Tantò minus certe leviter ferenda, quoniam fundamento inſiſtunt, ſi ſcientes hoc faciant, abominando. Sum-"mo artificio ſtructum eſſe humanum corpus, imo animale in "univerſum, omnes conſentiunt. Prudentiores autem me-"ritò agnoſcunt, quod *ſtructura* hæc nihili propemodum ſit, "præ *utendi* & *adminiſtrandi* ratione, plurimis modis excel-"lente. Hanc ita inditam eſſe huic corpori, non quatenus "*ſtructo*, ſed quatenus *viventi*, ut etiam ſine alienis adjumentis, "non ſubſiſtere ſolùm poſſit, inter omnia periclitationum un-

di-

dique circumstantia machinamenta: sed etiam à talibus jam" vim aliquam inferentibus, iterum expedire se, ac eripere," neminem nisi stupidum fugere potest. Hanc agendi exqui-" sitam & efficacissimam harmoniam, ab ipso CREATORE" *benedicto* ita institutam esse, omnes videri volumus credere." Interim ubi quæstio est, de *observanda*, *adjuvanda*, *expedienda*, *asserenda*, hac ordinatissima energia, non aliter, quàm" si somnium audiverint, ita omnes avertunt animum, & directè ad planè alia, imò *aliena consilia & auxilia*, invenienda, toti incumbunt.

XIII.

Merito vero dico *aliena*; dum non solùm domestica illa maximi certè facienda, & omnibus modis juvanda, insuper habentur atque negliguntur: Sed etiam vel planè *contraria* iisdem, passim tentantur, & alicubi per inconsiderantiam, nudis *opinionibus* experimentorum subnixa, cum manifestiore sensu contrariæ efficaciæ in usum trahuntur: alibi etiam directo & sensibili effectu *contraria*, eliguntur.

XIV.

Diximus propinquo §. *innexam* esse hanc classem prioribus, nec aliter se habet res; licet non æque absolutè, imprimis quantum ad cognoscendum attinet, *reciprocè* istæ classes huic innexæ sint. Nempè quam *secundo* loco nominavimus, *Expectatio*, involvit certè maximè usum *privativum*, impatientis & intempestivæ festinationis: Quam *primô* loco commendavimus, vera μεθοδία spontanea seu naturalis, prohibet contrariam turbulentam *exagitationem*. Interim, sicuti *resistere*, aut simpliciter atque turbidè *præfestinare*, rem totam non exhaurit, nempe unicè ut *noceat*: Sed opus etiam omninò est positivarum harum rerum sufficiente notitia, ut illas etiam expedire atque *promovere*, in suo ordine & tempore, intelligamus: proinde nemo puto damnabit hanc ipsam etiam à nobis constitutam discretionem.

XV.

Antedicta verò humani ingenii protervia, habet hoc igitur, ut maximè fertilis sit hæc ejus provincia, etiam *obsistendi* salutaribus atque *necessariis* naturæ cœptis; quàm proinde evitare, & ita *abstinendo* rebus necessariis benè consulere, multiplex atque latè patens sit & esse debeat indicatio. Unde v. g. non sufficit passim, ut *quies* decens non *servetur*, ut *moderatus calor* non foveatur eique indulgeatur, imò obsequium præstetur, ut *temporum* peculiaribus periodis singularis opera talis non navetur, iisque peculiariter benè gubernandis cura non adhibeatur: Sed tentatur passim *oppositum*, ut *jactationibus* impatientibus actualibus, intemperantibus *refrigeriis*, jugi *impatientia*, imò *temporibus* quam maximè peculiaribus, tanto major *perversio immorigera*, alibi defectu melioris *consilii*, alibi vel *ipso* malo & imperito *consilio*, admittantur, ut nempe ita non solùm *continentia* non præstetur, nec *abstinentia* solertior servetur: sed vera actualis intemperantia, & maligna quasi *activitas* temerè agitetur.

XVI.

Quemadmodum autem ita tanquam *generalem* delineationem varii ordinis *Regiminum* exhibuimus, ita prosequemur eminentiora aliqua, per *species*, ejus rei exempla producere, & in illis usum hujus rei eximium commonstrare, faciemus autem applicationem, partim secundum *affectuum* partim *medicationum* indolem.

XVII.

Affectus quod attinet, sicut omninò FEBRES, & plurimis passim exemplis, & maximè familiaribus in Praxi medica casibus, sese offerunt, ita maximo jure meritoque, facimus etiam ab illis initium; Asserimus enim omni modo, quod *Regimen, singularum* Febrium indoli conveniens, sit illud præcipuum, cui universa salutaris illarum, sivè *medicatio*, sivè reliqua *administratio*, tanquam fundamento incumbat; & hoc perperam administrato, omnia, non solùm impeditiora, adeo-

que passim etiam tardiora atque *segniora*: sed etiam magis *ambigua*, atque periculoso eventui propiora, evadant.

XVIII.

Ita enim in Febribus v. gr. *Intermittentibus*, *Tertianæ* quidem, imò & *quartanæ*, *frigus*, per medicamenta occupare aut depellere velle, *calida*, sangvinem fortius commoventia, pessimum est cœptum, si immoderatioribus medicamentorum dosibus absolvi suscipiatur, adhibito etiam insuper ita contrario *regimine*, ut eo maximè tempore, cum talibus medicamentis, perverso ita *regimine sudor* imperetur, externis etiam adminiculis promovendus, nempè *calore externo* & lectorum plumaceorum spissiorum impositione. Quemadmodum enim hujusmodi rebus, *frigus* paroxysmi, vel nihil, vel parum, antè omnia verò *pessimè*, si maximè eventus voto respondeat, simpliciter & directè reprimeretur: ita sicubi hoc etiam ad votum succedit, augescit inde inauspicato *fervor* reliqui paroxysmi.

XIX.

Enimverò hunc quidem *fervorem* paroxysmi *temperare*, non esset passim, ita æque inconsultum: sed est eo ipso tantò difficiliùs factu, ne inquam simul totus etiam ordo Febris confundatur. Minimè omnium autem procedit hæc res satis commodè, per viam simpliciter *sudatoriam*. Quamvis enim *à posteriori* verum sit in experientia, quod, quando in tertianis *sudor*, *placidè*, & imprimis *spontè* magis, quam directa *arte*, prodit, tunc caloris vis remittat: malè tamen hoc applicatur tanquam *causaliter*, quasi inquam sudoris eruptio sit directa *causa* minuentis caloris: unde nempè deinde conficienda videatur applicatio illa ipsa, quod propterea *sudor* propriè *provocandus* sit, ut calorem *solvat*. Cùm enim sudor ille, non calorem qua talem, sed fortem atque diuturnam sangvinis agitationem, *plethoræ* per colliquationem minuendæ destinatam, propriè respiciat; huic verò *excretio* sudorifica, nihil usquam subsidii adferat: sed potiùs præposterum quid-

quiddam exigere aggrediatur, *evacuare* inquam colluviem ſeroſam, priùs quàm ejus notabilis copia per ipſam conquaſſationem ſangvinis [mediante motu ejus fortiore] confecta ſit: efficitur ita communiſſimè quidem, intempeſtivo tali *ſudorem propellendi* inſtituto, nihil certius, niſi ut æſtus ſolùm *intendatur*, excretio verò planè non obſequatur: vel planè adhuc gravioribus eventibus ſangvinis fruſtra ita *fervefacti*, tanquam porta aperiatur, & via plana ſternatur.

XX.

Cum ex adverſo, vera intentio *frigoris* imprimis tertianarii, longè aliud fundamentum habeat, quam ſimplicem directè *morbidum defectum caloris*; cui itaque directè reſiſtere expediat; ſed potiùs tolerandum potiùs omni modo ſit hoc frigus, & potiùs patienter expectandus effectus ejus deſtinatus, nempè *emollitio* atque *præparatio cruditatum* quarundam circa primas vias, ut illæ vel *vomitu*, vegetiùs expelli poſſint; vel *fluxu alvi*, vel ad minimum ſucceſſivis ejus egeſtionibus etiam *ordinariis*. *Calor* autem, in *plethorico* maximè corpore, non poſſit deeſſe, quamdiu non deeſt totius *Febris* occaſio, ſubeſt autem ſub ea una ſangvinis in patiente *abundantia*. Unde potius *dilutione* moderata, promovendus eſt facilior ejus, utut ita *auctior*, circuitus: Continentiâ verò *tranquillâ* expectandus ejus, ita demum tanto *promptior* finis, ſimulque *ventilatio* per ſuccedentem ſudorem. Siquidem immodeſtior *refrigeratio* externa, manente pulſus impetu, dum humores profundiùs *introrſum* conſtringit, *ardores* internos, & horum *anxios ſenſus*, ſupra *anguſtiæ* generalem quaſi circumſtantiam, temerè auget: ſimul verò etiam univerſam *durationem* totius Febris, ita intendit, ut novus paroxyſmus non alio impetu revertatur, quàm ſi priore nihil actum eſſet. Qua ratione non ſolùm præſentibus rebus *paroxyſmi* malè conſulitur: ſed omninò etiam toti febris periodo.

XXI.

Dum, ex adverſo, illi, qui nihil aliud, niſi per inita, *primos*

mos inquam *paroxyſmos*, maxima patientia atque continentia ferunt, ſi etiam *nullo medicamento* potiantur, magis magisque benigniores hinc experiantur eos qui ſuccedunt, & undique *miteſcentes* atque *decreſcentes*: adeò quidem, ut ſi etiam *ſudores*, qui quamlibet ſcenam *claudunt*, ſine metu æque ac impatientiâ, nuda ſolum *quiete*, non magis, quàm ne ſenſum *frigoris* percipiant, *tecto* corpore, & ſuppeditata interim largiore *humectatione*, ſuccedente etiam intermediis diebus *alvo*, aut modeſtè *mollita*, etiam paſſim ſine ullis aliis *artificiis*, ſolo hoc *Regimine*, paulatim expirent, & minuentibus indies ſymptomatibus, tandem prorſus emaneant.

XXII.

Ubi tamen etiam illud adhuc *regimen ceſſantinm* ita hujusmodi Febrium & ſatis legitimè deſinentium, memorandum eſt, quod patientes, ita, ſatis *legitimè* inquam, à febribus talibus liberati, optime ſeſe adhuc regere debeant tam circa *frigoris*, imprimis *humidi* evitationem, contrà verò moderatæ *tranſpirationis* lenem potius promotionem, quam inſignem impeditionem: quam etiam circà *ventriculi* evitandam onerationem: Et denique tolerabilem *corporis motum* voluntarium. Sicut enim, ceſſante etiam placidè *tertiana* Febre, *refrigerationum* corpus percellentium neglectus, aliquando recurſum excitat; Unde vulgo maximè ſuſpectæ ſunt *ædes ſacræ, cellæ vinariæ*, imò *tranſitus fluviorum*: Ita habet certè etiam non poſtremum uſum, ſi rectè fiat, aut contra incommodum, ſi perperam, *Motus corporis*: neque hoc ſolùm in ſimplici, & quaſi melioris fidei, *Febrium* hujusmodi ceſſatione: ſed etiam quam maximè in febribus talibus per vim aliquam *ſuppreſſis*: quo certè ultimo caſu, prudens uſus *motus voluntarii*, quantum usquam poteſt tolerari, tantam utilitatem exhibet, ut ejus neglectus, ſub nimium ſuperſtitioſo metu *virium* non ſatis conſentientium, ſufficere poſſit, ad pejorem hujusmodi cohibitionis effectum poſt ſe trahendum.

XXIII.

Quid, quod ad *Regimen tertianæ* Febri debitum, etiam omninò pertineat *anniverſaria* prorſus, nempe vertente proximo anno, cautio aliqua atque circumſpectio, in ſolertius aliquanto ſervanda *Diæta*, ne è levioribus etiam occaſionibus priſtina commotio denuò repullulet, utpote quod omnino nihil rarum eſt. *Quartanæ* vero Febris regimen, ſi quod aliud, circumſpectè inſtrui meretur, nempè in ſenſibilioribus. Sola *tranquillitas* eſt hic præcipuum, cujus maximus, quantum ad *regimen*, ſit uſus. Ita tamen, ut omninò inter *privativa, evitanda*, habeatur inconditum Regimen, tum *ſudatorium*, tum nimium *deſes* atque *otioſum*. Sicut enim in plerisque *chronicis* morbis, *inhabilitas* ad motum voluntarium vividius uſurpandum, ingens reverà detrimentum affert *ſolutioni*, præcipuum autem fomitem penitiori *innidulationi* horum; ita valet hoc reverà etiam de *quartana* febre: Cui, ſi *motus* moderatus, una cum ſufficiente *humectatione*, & lenibus partim *emollientibus* atque *incidentibus*, partim clementer *evacuantibus*, adhibeatur, *methodicè* certè nimiò plus ita impetratur, quam quibuslibet aliis tentaminibus. *Sudorificum* autem *regimen*, intempeſtivum, & imprimis intemperantius, præbet haud ita difficillimè occaſionem, ut *quartanæ* in *hecticas* tranſmigrent: aut repentino *infarctu* penitiore, imprimis *hepatis*, jam *Ictero*, jam *tumoribus oedematoſis* & *aſciticis*, jam *junctis* talibus rebus, anſam præbeant, ſicut etiam omnes *repentinæ commotiones*, tum ſangvinis inteſtinæ, ſine *localibus*; & imprimis non potioribus *localibus* quam *inteſtinis*: tum *locales* quidem, ſed magis *particulares*, circà ipſa maximè *viſcera*, per *vomitus* vehementes, plus *damni* communiter adferunt, quam *emolumenti*.

XXIV.

Acutarum, vulgata nominis acceptione, nempè *continuarum*, brevis periodi, febrium, *Regimen* certiſſimum eſt, bonum nempè & utile, ut patiens à voluntariis partim *jactationibus*

bus, partim *refrigerationibus*, partim *coactis*, & imprimis ratione paroxyſmi *intempeſtivis*, *concalefactionibus*, opinione *ſudores*, aut *expulſiones* promovendi, in ſolidum ſibi temperet. E contrà vero, neque *cibis*, renuente appetitu, Ventriculum oneret; nequè *potum*, (modò tenuem, & nulla deteriore qualitate corpori moleſtum,) minimè quidem *intempetanter*, interim tamen ad ſitim *liberaliter*, in uſum trahere dubitet; ubi etiam, præſertim jam ante quantumcunque *adſvefactis*, *calidi* illi potus, *Thée*, *Coffée*, ſed *tenuiùs* tincti: imò *Emulſiones tenues*, ſine *ſeminibus frigidis*, è ſolis potius *amygdalis*, egregiè conducunt: vitando *carnium* decocta ſeu juſcula, imò etiam alias *gelatinas*, inanibus fabulis *alexipharmacæ* efficaciæ fruſtra laudatas.

XXV.

Sicut autem hæc ad Regimen *acutarum* in genere omninò pertinent; ita ſpectat ad earundem ſpecialiùs jam rectè gubernandi rationem, ne quidquam, quod etiam *opportuno* tempore non contemnendum uſum habere poſſit, *præpoſtero* & alieno tentetur. *Sudores*, uno propemodum ore, & Medicorum & civium turba, dicant *Febribus continuis*, ſeu *acutis* dictis. Cum autem ſudoris verum *regimen*, revera communisſimè ſtatim præjudiciali errore, ita perperam explicetur, ut loco *halituoſæ placidæ* excretionis, pro *copioſa*, *aquoſa* effuſione capiatur: Si talis pro febribus hiſce, in uſum trahatur, ut in genere illis nusquam conducit, ita ſi inſuper in ſpecie *alieno tempore* tentetur, imò verò tanquam contendendo *urgeatur*, trahit certè pasſim poſt ſe ſe non ſolùm præſentaneas ſangvinis inſolentiores *exagitationes*, patientis *anguſtias* anxias, *mentis perturbationes*, imò intempeſtivarum *diffuſionum* & *effuſionum* promptiores conatus: ſed pervertit etiam, non ita raro, univerſum febris *typum*, exhaurit patientem temerè *viribus*, auget *impatientiam* & *incontinentiam* pro neceſſariis ulterioribus ſuccesſibus. In *Exanthematicis* autem, in ſubjectis tenerioribus atque ſenſibilioribus,

familiarisſimè etiam irreparabilia *damna* infert, incondita talis intempeſtiva *expellendi*, per *Sudorifera regimina*, intemperantia. Verbo, nullum hic certiùs eſt & utiliùs regimen, quam quod moderatisſimè in omnibus ſe ſe gerat, & omninò quaslibet *feſtinationes* potius præoccupare, interim etiam impedimenta lenium ſubtilium *ſecretionum* & exexcretionum, avertere valeat. Quemadmodum autem hæc conſtitutio, propemodum ſpecialiſſimum regiminis, tanquam per ſingulas *ſpecies*, moderamen complectitur; ita eſt tanquam generalius adhuc, & huic veluti generi commune, juſta *menſura periodi* totius. Salva certè ſancta veritate teſtari hoc poſſum PRÆSES quod non ſine tacita admiratione aliquoties obſervaverim ejusmodi perturbationes, etiam illorum à quibus præcipua ſalus expectabatur, in Febribus ejusmodi continuis periodicis, revera magis ſolùm *catarrhalibus*, quam ullius altioris *mali moris* ullo ſuo merito ſuſpectis; ut nempe tales ibi, præter omnem rationem, *tertio*, *quarto*, *quintò* die, propemodùm de hora in horam, converſionem in melius, etiam cum impatientiâ minimæ tacitâ, præſtolarentur; &, quoniã illa non ad votum ſequebatur, licet interim ſatis optata *æqualitate ſtatum* ſuum proſequentes, legitimæ prognoſi optimum argumentum ſuppeditarent, peſſima quæque ominarentur: Unde etiam, ab alio tranquilliùs formata *prognoſis*, quod *æqualitas* illa *ſtatus*, bonæ potius ſpei fundamentum præbeat, cujus tamen exitus ante *ſeptimum* ad minimùm diem, ad ſenſum miminimè expectari nedum pro *conſtanti*, ſi etiam appareret, haberi, aut ſecuritati hinc indulgeri poſſit, eventu ipſo confirmata, trepidationes iſtas in confuſionem dedit. Eſt itaque omnino maximi meritò facienda, in ordinando conveniente regimine, utiquè hæc etiam EXPECTATIO prudens, ejusque maximè proſecutio, per *regiminis* etiam idonei, atque tempeſtivis ſubordinationibus rectè inſtructi, aſſiduum prudentem uſum.

XXVI.

Valet autem tantò magis provida regiminis, *diapnoën* liberantis, non impedientis, observatio (cessante jam ipso formali Febris ambitu & illâ recentissimè curata,) qualem in ipsis *intermittentibus*, laudavimus, etiam in *continuis*, & quam maximè quidem *brevioris* periodi, seu magis *acutis*. Quandoquidem his ipsis etiam valdè intempestivæ *refrigerationes*, alibi *novam*, & communiter *heteroclitam*, exacerbationem, alibi ad minimum longas lentas *debilitationes*: alibi inexpectatas quasdam *abscessiones*, seu potius collectiones cujuscunque residui noxii, portendunt: unde tantò diligentius evitari debent.

XXVII.

In *Hectica* febre, generatim quidem *temperata*, imo *tepidior* potius, quam valdè *calida*, aëris temperies, quin etiam *balnea* aquæ dulcis, leniter *tepida*, conveniunt: De reliquo vero, quantum usquam vires ferunt, confert *motus corporis* moderatus: Vbi commendationem *Sydenhamii*, qua *Equitationem* & *vecturam*, ut ille quidem ait *Phthisicis*, nihilo autem minus etiam *hecticis*, commendat, majore consideratione practica & prudente usu, omnimodò dignam reputamus.

XXVIII.

Meritò autem, cum hujus Viri mentio inciderit, etiam tanquam ab ipso primò ita *positiva* sub *cautione*, inculcatum *Regimen Variolarum* atque *Morbillorum* laudare decet. Quamvis enim tot *millenarii* exemplorum in *rusticis* & *plebejis* infantibus, affatim monstrarent, quod NIHIL AGERE, sed simpliciter potius *privativè* rudiora *impedimenta vitare*, ad felicem successum horum exanthematum sufficiat: Potuit hoc tamen partim inauspicata superbia *ditiorum*; partim vera etiam *mollities* liberis talium adsuefacta; partim *Practicorum*, sat agendi & officia sua in usum deducendi, cupiditas, ut tales infantes atque pueros, sine *arte* obstetricante felicem horum exanthematum successum & exitum adipisci minimè posse, pro certò habitum passim apparuerit, imo vero hodieque adhuc,

hinc inde ita reputetur. Hanc rem ſcitiſſimè emendare aggreſſus laudatus *Sydenham*, commendat Medico potius NIHIL AGERE; *nihil*, inquam *poſitivum* ſuſcipere, aut *artificia* ita peculiaria perpetranda ſibi proponere: ſed ſolis *conſiliis*, quomodo *regi* debeat patiens, inſiſtere: ne nempe vel *intempeſtiva expulſio*, inauſpicatò tentetur: vel *immoderatior* expulſio agitetur: vel plane, negligente patientis licentia, actuali *perfrigeratione*, directum damnum introducatur. Et certè, cum, quantò ſenſibiliores ſunt hoc morbi genere correpti patientes, eo minus ferant *commotionem*, vel *præmaturam*, vel *nimiam*, ſine certorum damnorum periculo; ita, ubi effloreſcentia *non dùm deficit*, neque juſtus ejus rei metus occurrit, adeoquè *expectare* omninò fas eſt, quod Natura jam ſua *ſpontè* eruptionem, quantum ſatis eſt, promotura ſit: ſi hoc illa etiam ita faciat, interim nihilo minus etiam *ars* hoc adhuc promovere nempe *augere* & intendere aggrediatur: non poteſt certè, quin ita *plus juſto* fiat, quod in his affectibus & maximè *variolis*, nunquam certo periculo caret. Unde quidem *regimen* pro *variolis*, propemodum in nuda ſimplici rationi conformi patientis *continentia* tali fundatur, qua libertas *tranſpirationis*, magis minime *impedictur* quam actu *promoveatur*: Intelligo gradu notabiliter auctiore, quam per ſe, ſatis liberaliter libera procedere valeret. Sub hujusmodi certè regimine, ſufficiunt etiam ſimplicisſima remedia, *abſorbentia* & leniſſimè *diapnoica*: imò, ſunt ſubinde planè nulla verè *neceſſaria*. Habet autem *intempeſtiva* & *immoderata* hujusmodi *artificialis* perverſa expulſio, hoc *duplex* incommodum, ut à *præmatura*, *inſtabilis* deinde maneat *effloreſcentia*: ab *immodica*, & *numerus puſtularum*, & impetus *inflammationis*, & modus placidioris *maturationis*, multis modis lædatur, & ferè ubilibet periculo propius ſit univerſum negotium, neque levi quidem illi ſed communiter graviori.

XXIX.

Quemadmodum autem in Febrium negotio, utpote talibus

affe-

affectibus, qui non ſolum ipſi quoque ad peculiarem veluti regulam ſuccedunt ſed inſuper etiam brevi, aut certè plus minus determinato, temporis ambitu, hoc ita agunt, paulo exquiſitiori *Regiminis* etiam ordini, & locus eſt, & uſus; Ita diſpari magis ratione ſeſe gerunt *Chronici* morbi, adeo, ut quaſi ſingulis illorum *propriū* regimen aſſignare, non magis nimiò operoſius ſit, quam ita ſpecialius, ut revera potius ad propriam prorſus morborum talium ſpecificam indolem illud dirigendo, exquiſita etiam tractatione opus ſit, totius morbi, ut talium regiminis proportionum ratio decenter illuſtrari poſſit. Unde quidem potiùs in hoc genere etiam ſufficere poteſt ſimplex potius bonus *ordo*, rerum *nonnaturalium*, magis ut *in genere*, quam quacunq; ſpecialiore applicatione, quæ ſine morbi quaſi ſpeciliſſima indole curioſius deducta, illuſtrari minus poteſt.

XXX.

Interim, quod etiam jam ſupra indigitavimus, valet utique de pleriſque morbis *chronicis*, quod in illis familiariter obviæ *inappetentiæ*, coacta ciborum velut *obtruſione*, conſulere, nunquam benè cedat: ſed potius, ſi non æquè *tenui*, tamen *ſimplici* victu, illis commodisſimè conſulatur: minimè etiam ſimpliciter metuendo aliqua ſapida, niſi tum ingente difficilis *concoctionis* vitio laborent; tum correctionis per *condimenta* ad tolerabiliorem temperiem, quaſi nullam ſpem reliquam faciant; Præterea etiam valdè *inſueta* patienti exiſtant: imò verò maximè omnium ſi ab illorum etiam moderato uſu, patiens ad ſenſum *pejus* afficiatur. Certè verò meretur hic inſignem conſiderationem, *triplex* illa differentia, victus *tenuis*, victus *ſimplicis*, & victus valdè *intemperati*: utpote quarum rerum confuſio, ſæpè patientes multis moleſtiis afficit. Ita enim v. gr. qui *ſecalino* pane, benè *fermentato* atque ſapido, uti conſveverunt, ſi inde ad purum *triticeum* atque ſiligineum tranſeant, familiariter fere incommodiùs inde habent, quantumlibet *chronicis* morbis affecti, quamdiu quidquam edendi *appetitus* adhuc gliſcit. Interim non

ſtatim

ſtatim etiã ad alia *dura* fercula, uti vulgo tanquã inter ſe comparare ſolent, grobe Speiſen/grob Brodt/par ipſis conſtat *tolerantia*: niſi quod hic etiam, in mitiore adhuc morbo, paſſim etiam uſitatorum ſibi & gratorũ duriorum ciborum moderatum uſum minimè jugiter difficulter ferant: Unde certè prudentior obſervatio *euphoriæ*, præcipuam in hoc negotio regulam ſuppeditare poteſt.

XXXI.

Ingens damnum, quod *chronicis* morbis à *Diætetico* regimine difficiliore, impendeat, deſignavimus jam ſupra, *motus corporis* paſſim quaſi neceſſariũ *defectum* & *impotentiam*; Cui quanto magis, per vires æque ac occaſiones, licuerit operam prudenter dare, eo certè tolerabilius ſolent habere patientes. Interim quod de *viribus* dicimus; benè diſcernendum eſt, ne *affectata* quaſi debilitas, *faſtidioſus* inquam atque *ſegnis* potius, quam verè *defectivus langvor*, imprimis ex uno forte motus tentamine primum reſultans, imponat, cum etiam ſanis non adſuetis, aut longa deſidia iterum *deſuetis*, par ſenſus familiaris exiſtat, donec repetitione iterata magis magisque decedat.

XXXII.

Valet hoc usque adeò, ut non dubidemus etiam œdematoſis crurum tumoribus affectorum exemplum citare. Cùm enim tales, de plebe certè multos, conſpicere liceat, qui, ad *deſidem* vitæ rationem ſervandam impotes, neceſſe habent motibus, quantum usque tolerare poſſunt, uti; qui ſub tali, quantumcunque exequi poſſunt, *motu*, (temperando tamen à repentino nimio impetu) nulla inde eximia tumoris incrementa incurrunt, ſed potiùs non niſi lentisſima illa perſentiſcunt: Evenit tamen tanquam ad ſenſum contrarium in *otioſis*, & *quietis* necesſitatem ſibi incumbere opinantibus, quin quam maximè à *reſpirandi difficultate*, ſub primis motuum tentaminibus percepta, mox omnia graviora, ominantibus, adeoque ab ulteriore hujus uſu ita abhorrentibus. Qui ſanè

ita

ita promptisſimè magis magisque tument, & nominatim quidem circà ipſum *abdomen*, promptiores atque copioſiores ſtagnationes ita incurrunt. Magis autem utique talibus noxium eſſe *frigus*, ſub hujusmodi otioſa deſidia, quam quibus localis motûs ad tolerantiam inſigne ſtudium placet, non magis experientia teſtatur, quam ipſa etiam *ratio* ſvadet, modò energiæ *transpreſſionis* humorum *attenuatoriæ* rectè gnara.

XXXIII.

Tantò majoris autem uſus eſt etiam *motus localis* corporis præ omnibus *Pharmacevticis* remediis, tam in ſimplici *abundantia* plethorica imminuenda, quàm in *ſpiſſeſcentia* ſangvinis, imò ſola nimiæ abundantiæ *oppletione* recte expedienda, adeoque *ſtagnationibus* mitigandis aut minuendis. Unde in *Hypochondriacis* & ſimpliciùs *Hypochondriaco-melancholicis*, ſufficiens *potus*, liberalior *Motus*, & qualescunque *mentis*, etiam artificioſæ, conſolationes, habent certè multiplicem laudatisſimum uſum in his caſibus; & talem quidem, qualem *Pharmaceia*, univerſa, ne aſſequi quidem posſit, nedum meliùs præſtare.

XXXIV.

Interim à *repentinis* utique intemperantibus fortibus *motibus* eo magis cavendum eſt talibus, qui tum *nimium ſangvinis*, in corpore poſſident, tum nimis parum dilutum eundem habent. Ex hujusmodi enim errore prognaſcuntur partim repentinæ *expanſiones* ſangvinis, & inde variæ *anguſtiæ, oppletiones, infarctus, obſtipationes*: tum *eruptiones*, aut ad minimum impetuoſiores atque pertinaciores *conniſus* ad easdem.

XXXV.

Ducit nos autem hæc ipſa res, ad *Regimen hæmorrhagicæ* diſpoſitioni idoneum indicandum. Ubi nempe præſto eſt ſenſibilis *Plethora*, & hanc partim *molimina* eruptionibus actualibus tanquam ſenſibilius deſtinata, comitantur: Quæ *motibus* corporis, imprimis paulò minus providis, facilè & multum exacerbantur: ibi habet omninò locum illud regimen, quod quidem *frequentes*, & quaſi frivolas hujusmodi *exacerbationes* temperet: Interim minimè etiam ſimpliciter ad nu-

dam *desidiam* transseat. Licet enim simpliciter *deses* atque *otiosissima* quies, frivolas ac frequentes commotiones & eruptiones omninò præoccupet; modò simul etiam ab *internis* commotionibus sangvinis, per *potus vinosos*, *aromatum* abusum, conclavia nimis *calida* & vehementem *iracundiam*, satis caveatur: non aufert tamen, sed *differt* solum hujusmodi continentia, eruptiones illas; ut deinde tandem cum magis indomito impetu, per datas modo dictas occasiones, erumpant: aut, si revera etiam ita detineantur *exonerationes* tales, ut à reliqua *dispositione* minimè verè alienæ, prognascuntur inde aliæ, nusquam leviores, sed semper potius *graviores* pathematum species; In *Junioribus* quidem, *activioribus*, *iracundis*, *vino*, præsertim *rariùs*, intemperantiùs indulgentibus, *Febres acutæ*: In segnioribus autem *Rhevmatica*, *Hypochondriaca*, imo hæc inter se *reciproca*, pathemata, *Cephalalgiæ* importuniores, *Anginæ*, *Erysipelatodes* congestiones, imò, licet rarioribus casibus, *Paralyses*.

XXXVI.

Est itaqne *primarium* optimum *regimen* in *hæmorrhagiis* rectè tractandis, postquam satis liquet, quod *abundantia* sangvinis, *commotionibus* jam exagitata, aut planè jam *assvefactis* hujusmodi ventilationibus, sæpiùs sublevata, nequaquam simpliciter *toleranda* & nusquam imminuenda aut levanda reputetur: Adeoque breviter, hæmorhagiæ, non *in genere* & *simpliciter*, *damnentur*, atque *arte sufflaminandæ* habeantur: Sed potiùs *moderato* illarum successui, ita obsequium præstetur, ut solùm ab *intemperantioribus* illarum commotionibus, & quidquid his inservire potest, caveatur.

XXXVII.

Equidem non tanquam directè & simpliciter ad regimen referri possunt, ipsa *auxilia* præscribenda; ut in præsente casu, *hæmorrhagiarum* à Plethora, *sangvinis missiones*: Interim ad harum utique *regimen* pertinet omninò, *tempestiva*, & quoquo modo *competens* ordinatio atque distributio illarum, secundum *tempus* & *loca*, quo ita scopis suis rectè satis-

tisfaciant. Ita nempè pertinet utique ad hoc regimen, ut ventilationes hæ etiam artificiales, ita inſtruantur, ut ſcopo ſuo non ſola *opinione*, ſed rei *veritate* & effectu potiantur.

XXXVIII.

Hoc itaque intuitu, convenit maximè ſangvinis miſſiones tempore inprimis *æquinoctiorum*, aut ſanè circiter, inſtituere: in junioribus in *brachiis*: in paulò jam *annoſioribus*, imò vel à XXV. anno, aut circiter, tantò magis autem in *mulieribus*, in *pede*. *Quantitate* etiam non quidem prodiga, interim *nec* etiam *parca* nimium: à III. ad V. uncias. Nimium *parca* enim miſſio, ubi tamen *juſta* eſſet ventilatio, trahit non ita raro poſt ſeſe, novas ſpontaneas ipſius naturæ *concitationes*, & pertinaces *conniſus*, qui veras demum novas turbas exhibeant, ut vel planè abſtinuiſſe meliùs fuiſſet. Tantò magis autem neceſſarium eſt ejusmodi regimen, *tempeſtivè* inquam repetendi ventilationem utilem, ubi actualis *Adſvetudo*, imprimis ſpontanearum eruptionum præſto eſt: Quandoquidem tales neglexiſſe, ſi tandem ſpontè, aut undecunquè, ceſſent, certa alia pathematum genera velut invitat, aut portam illis aperit: ad minimum autem certiſſimè *inaniores* ſunt quæcunque aliæ methodi, intentiones, & inventiones, his rebus occurrendi, ſi hæc in anteceſſum negligatur.

XXXIX.

Poſtquam hæc ita indicavimus, partim ut ad *Plethoram* partim ad *ſpiſſeſcentiam*, partim denique ad *eruptiones* Sangvinis pertinentia, facile hinc elicere poterit, qui ſolidioris *pathologiæ* intellectum habebit, quodnam ſit optimum Regimen pro affectu ex hac *triplicitate*, tanquam infauſto quodam effluxu, prognaſcente, nempè magis ſeriò accuſando *Malo hypochondriaco*: Et quomodo huic etiam hodiè propemodum jam in vulgus nota præſidia, *liberalioris potus* & *motus*, egregium ſubſidium ferant. Verè autem peritioribus, ſine difficultate etiam hinc diluceſcet, quo intuitu *Hypochondriacis* ſeriò talibus, tam eximias mitigationes exhibeant pru-

dentes adhibitæ *ſangvinis miſſiones*. Longiùs autem protendentibus mentis oculorum aciem, non poterit etiam quin appareat, ingens illa *reciproca* conſenſio, quam adſveti jam *hæmorrhoidales* fluxus, ſi poſthac deficere incipiant, excitant per *hypochondria*, inprimis *ſiniſtrum*: Et è converſo, illud, quod Celeberrim. *Dolæus* in Enclyopædia ſua de *Malo hypochondriaco*, ultima propemodum linea, & breviſſimis verbis, memorat, quod *obſervatum ſit Hypochondriacos* (inſignes) *coorta hæmorhoidalis fluxus eruptione, meliùs habere cœpiſſe*. E quarum rerum juſta conſideratione facilè concinnare poterit, quodnam *Regimen* hypochondriacis maximè conducat, & quare. Nempè *diluens*, motu locali voluntario *attenuans*, quin denique dextrè etiam imminuendo *ſubducens*, adeoque præoccupans exacerbationum occaſiones.

XL.

Arthritodeων affectuum abſurdum fuerit Regimen aliquod laudare, priusquam ſatis cognitum ſit, qui nam ſint illi affectus, qui hujusmodi Regimen poſtulent, aut certè expectent. Certè enim inanè fuerit vel optime callere *quid conducat*, ſi affectum ipſum *cui* conducere debeat, ignores, adeoque nec ullam occaſionem artificii in uſum deducendi aſſequaris. Equidem craſſiores illos affectus *Podagram, Gonagram, Chiragram*, non ita facilè contingit ignorare; ſi nempè veram jam ſuam ἀκμὴν conſecutæ, non modò membra hæc tanquam capta obſideant, ſed etiam *ſenſus* exquiſitis cruciatibus percellant & exerceant. Quando verò adhuc veluti *muſſitant*, & è *longinquo* ſolùm, diſſimulata genuina ſui ferocia, *moliuntur*; quo maximè tempore adhuc propior eſt *integritatis*, ut ajunt, *ſtatui negotium*, adeoque etiam medicationes, imò verò harum *regimina* juſta, præcipuum adhuc uſum pollicentur; ibi cùm ferè quam maximè familiaris ſit ἄγνοια illa veræ *indolis* talium affectuum, fit illud, de quo dicimus, ut non benè cognito affectus genio, vana etiam ſit applicatio regiminis. Ne vero argutari ſolùm velle videamur aut tergiverſari, aſſeveramus

mus

mus omninò, quod in his maximè casibus præcipuum locum habeat *cautio* illa superius notata, ut non solum justis *regiminibus* opera solertissima navetur, sed imprimis *contraria* tentamina, & alieni ausus, imo *contrarii* potius, adeoque *nocendo* propriora, evitentur. Quando enim *Hemicranica*, aut alias per *insultus* feroces acriora *Cephalalgica*; alterutrum etiam latus *cervicis*, *scapularum*, *spinæ dorsi*, imò alterutrnm *brachium*, gravantia pathemata, incumbunt, imò jam, nisi planè imperitis, velut evidentia *Ischiatica* pathemata: Cum usitatæ opiniones recentioris *pathologiæ*, partim has res, (imprimis in corporis habitu spongiosiore) *Rhevmatismi* nomine, *arthriditi* plane contradistinguant: partim tum horum tum ipsius *Arthriditis*, causas in *acrimoniam* humorum salinam, & portentoso illo nomine, *Scorbuticam*, conjiciant: Frustra hinc certè est vel veram energiam *convenientiæ* mutuæ horum affectuum, adeoque veracem illorum *Diagnosin*, assequi: vel, sive *Pharmaceiam* justam, vel *Regimen* verè conveniens, illis ita invenire.

XLI.

Enim vero qui rectè animum adverterit, quid mutuæ conspirationis intercedat, *Plethoræ*, & quidem commotæ, cum *hæmorrhagiis*; quid *apparatuum* ad hæmorhagias fiat atque vigeat, tam *appellendo* adeoque *congerendo*, quam *stagnando*, *tendendo* atque *premendo*, imo denique etiam in parte sic onerata *renitendo* & contra tendendo: si hæ considerationes porro comparentur cum *locis* hæmorhagicis, & quidem secundum *ætates* his locis speciatim imminentes: quin denique si ex ipse *Clinica* praxi, ex iis quæ indies verè & notoriè fiunt, observetur, quam certus passim transitus fiat ab hujusmodi vulgo dictis *Rhevmaticis* affectibus in veros *arthriticos*: & vicissim, ex *arthriticis* male tractatis, in hujusmodi *restagnatorios*: Ille, qui nempè ita rem perspicit & perpendit, agnoscet etiam penitius, quid ex hujusmodi potius *respectibus*, tam medicationis, quam Regiminis, his tali-

bus

bus affectibus verè respondeat atque adeo debeatur; Aut contra, ab illis alienius haberi mereatur.

XLII.

Ita nempè demum intelligere licebit, quis sit usus *tempestivæ ventilationi* sanguinis; non (uti quidem rapiunt potius quam capiunt, crudi speculatores) ad simul & semel *eradicandam* Arthritidem aut *Podagram*, imprimis jam adultiorem & insolentiorem: Benè vero ad *mitigandam* eam, & præoccupandos tum nimis *frequenter*, tum nimis *acerbos* ejus insultus: Imo ad subordinandos etiam *motus* locales tempestivos & sufficientès: Utpote egregio usui inservientes, si dextrè & peritè administrentur seu regantur, *ventilato* prius sanguine: Non facto vero hoc, nisi cum summa prudentia suscipiantur, certas propemodum molestias, imo exacerbationes, provocare aptos; quantacunque sanguinis vel universali, vel particulari exagitatione ita admissa, Dum certè interim per tales metus, penitus reformidatus usus liberalior *localium motuum*, Arthriticis & Podagricis perpetuò *rigidiores* reddit artus atque partes; imò, si deindè aliquando denuo aut ex improvisò, fortior aliquis motus suscipiatur, certius exacerbationes Paroxysmorum actualium ita introducat. Ubi certè in provida atque circumspecta Praxi, maximo jure æstimanda venit observatio illa, tota simpliciter practica, verè clinica, *Sydenhamii*, quod gliscentibus jam insultibus podagricis, audacius suscepti motus corporis fortiores, Palindromen quandam seu retrocessionem violentiorum motuum spasticorum ad interiora corporis, post se se trahant. Quod certè incommodum, uti nullis certius evenit *Arthritico-podagricis*, quam evidentius *Plethoricis* ita nulla re certius, præoccupari potest, quam rectè tempestivis sanguinis ventilationibus: Hoc ipso autem insignis ille usus *motus* prudenter gubernati, pro his affectibus, penitus in deteriorem partem accipi possit.

XLIII.

Quemadmodum autem jam antea *Regimen* quasi certum ad

hæ-

hæmorhagias tam pertinacius *molientes*,quã ipso exitu liberaliiore *adsuefactas*,laudavimus;ita meretur omnino certè etiam mentio fieri *artificialium* sanguinis ventilationum,quacunque, imprimis tamen *justa* aliqua de causa,introductarũ & *adsuefactarũ*.Intelligit sanè insignè hujus rei specimen ipsũ vulgus melius,quam perplexis quibusdam speculationibus impliciti multi doctiores, in scarificationis usu, tandem temerè neglecto,utpotè â quo varia certa incommoda expectanda esse, neque leviâ quidem passim illa, constans experientia non magis testatum, quam conspicuum reddit. Tanto magis autem meretur talis constitutio æstimari in *venæ sectionibus*, alias vel sæpius, vel propter justiores causas,imprimis tamen *chronicæ* indolis, usurpatis. Cum enim talium evacuationum post hac *neglectarum*, mala consectaria, quasi paulo remotius distare videantur, adeoque non æque directe ; minus solertem imprimis, mentem quasi manu ducant, ad nexum illum suum originalem deprehendendum; Non adeo æquè mirum hinc est, quod vulgo Theoreticorum potius omnia alia, hic in mentem veniant, quam ἐϱέϱγεια *spasticorum* conaminum, *Symbolicis remporibus*, tanquam expressionem quandam, circa *loca*, imo totas *tegiones*, consuetarum emissionum, machinantium. Dum interim unicum certè, non utiiissimum solum, sed commodissimum etiam *Regimen* hic est,*consuetas* illas evacuationes cum subordinatis *motibus* corporis, *eundo*, *equitando*, *vehendo*, tempestivè & proportionatè repetere, atque ita *consuetudinem* semel contractam, continuare: Et hoc maximè omnium, non magis sub utilitatis, sed verius *necessitatis* cujusdam, veluti lege, ubicunque conspicuæ quædam *justæ causæ* hujusmodi evacuationum perseverare sentiuntur, nempe constitutio *plethcrica*, & plures occasiones sive Diæteticè sive imprimis *Pathæticæ* ad importuniores hujus commotiones. Unde certè, ubi hujusmodi circumstantiæ præsto sunt, nempè tam *adsuetudo*, quam ipsa etiam *materialis* constitutio conspirans, ubi cum maxima prudentia, practica magis, quam theoretica, æstimari debent

vul-

Vulgò creditæ *contra indicationes*, & inter has præcipuè *ætatis provectioris*: Quandoquidem hæc ipsa tantum abest, ut insignem dubitandi rationem objicere possit, ut potius, rebus uti dictum est, habentibus, revera septuagesimus quintus etiam annus nondum sufficiat pro absoluto termino ventilationum talium simpliciter omittendarum.

XLIX.

Unum verbum adjicere placet, pro Regimine circa *Motuum tonicorum* efferas anomalias observando. Ubi nempe de *Epilepsia, chronica* inquam, illud monendum videtur, quod vulgata illa solertia, Paroxysmo tali correptis, *pollices* è pugno extrahendi, minimè laudari mereatur. Sicut enim præmaturè, & statim sub initiis paroxysmi, non nisi languidissimè hunc solvit; paulo autem etiam tardius suscepta, longè diuturniorem languorem, & imprimis *mentis*, interdum etiam delirum plus minus, *fastidium*, familiarius post sese trahit: Ita in causa sæpe numero esse, observari poterit attendentibus, quod hac ratione paroxysmi facilius ad sæpius *revertendum* inducantur, quando ita *singulatim*, præmaturè & præter quasi destinatam *contentionis* periodum, interpellantur. Unde quidem nisi peculiariter urgens aliqua circumstantia v. g. vehementis *commorsicationis linguæ*, citatam solutionem paroxysmi specialissimè urgere videatur, extractione illa pollicum tentandum, præstat ab illa, quibuslibet aliis respectibus aut intentionibus abstinere, quam vano revera solatio, neque *summæ* totius affectus quidquam detrahere, nec etiam ipsius præsentis impetus plenam ita solutionem bona fide assequi, sed reverà potiùs solum miserrimum solamen ita quærere, quod etiam justus metus, tantò citius & facilius reversuræ exacerbationis, tantò pejore modo irritum efficiat. Quod proinde omnimodo considerari & perpendi meretur,

XLV.

In *destitutione mouts tonici* æquè atque voluntarii gravissima, *Paralytica*, non indignam consideratione solertiore du-

ducimus, ingentem illam occasionem ulterius *obrigescendi* certissimam, quæ ab ipsius universi *exercitii motus* defectu, originem ducit. Unde quidem svadendum; imo quovis modo studendum putamus, ut etiam *aliena opera*, membrum paralytica motus impotentia affectum, *sæpiùs* & *diutiùs*, *moderatè* tamen, non impetuosè flectendo agitetur. Quod usum nempè si non æquè certò, & veluti simpliciter, ad *summā* totius mali, nempe sensus & motus influxum, certò revocandum, sufficiat certum tamen commodum præstare poterit, ad *infarctum* in partes ita à relaxatione flaccidas incumbentem, de tempore in tempus expediendum. Quo nempe eodem etiam intuitu, minimè contemnendum censemus priscum consilium, *frictionibus* partes ita affectas exercendi; quamvis enim illæ similiter minimè suffecerint intentioni, partes has tanquam *sensu* denuò *percellendi*, satisfecerint tamen facilius *pressorio* effectu, ipsis hujusmodi, de quibus loquimur, infarctibus ita minuendis, *stagnationibus* præsentibus copiosioribus discutiendis, *spissescentia* humorum ita in parte affecta corrigendæ, imò meliori spei etiam jam dictorum *influxuum sensus* atque *motùs*, revocandorum. Unde certè, inquam minimè negligendum putamus consilium illud, remedia etiam quantumcunquè *nervina*, ita cum pressoria frictione applicandi; Non tam suppositæ facilioris atquè penitioris *penetrationis* opinione, quam dicta hac veriore & efficaciore intentione, tam humorum progressus per poros partium promovendi, quam ipsius tandem etiam influxus *tonici vitalis* vegetioris, ita quasi proritandi.

§. XLVI.

PUtamus autem hæc quidem sufficere posse pro specimine quasi quodam Affectuum variorum, & *Regiminis*, tanquam in exemplis talibus, efficacia; Superest ut etiam aliqua dicamus, de Regimine *medicationum*: Quomodo inquam regere conveniat Patientes, sub variis *medicamentorum* oblationibns, aut auxiliorum quorumlibet præscriptionibus. Placet initium facere à *Sanguinis missionibus*; Circà has non

ignota est, *superiorum* maximè *Germanorum*, *Francorum, Svevorum*, imò *Palatinorum*, quasi superstitiosa exactissima observantia, dum *sanguinis missiones*, illo ipso *die*, quo admissæ sunt, quanta possunt *corporis* & *animi quiete*, & *liberi* imprimis *aëris* abstinentia, prosequi, antiquissimum habent: unde illum diem, placidis amicorum, cum Xeniolis ipsos visitantium, colloquiis, & parco, aut ad minimum temperantè, vini potu, absolvunt: Proximè sequentem diem, *indulgentiore, edendi* atque *bibendi* quadam licentià exequuntur, præsertim *deambulationibus* simul, si tempestas faveat (quamvis minus *serenâ* hac, etiam vix venam aperiri consentiant) in amœniora loca, animi causa, & corporis motu exercendi gratia, susceptis: *Tertio* demũ die, paulo audaciꝰ aëri se credentes. Unde quidem hoc etiam vulgati joci proverbium recitant; den ersten Tag mässig/ den andern gefrässig/ den dritten satt und voll/ so bekomt das Aderlassen wol. Invigilant autem hic, huic diætetico velut ordini, ex ea maximè opinione, quod sangvis venæ sectione commotus, facile ad febrilem intemperiem concipiendam prolabatur. Quamlibet autem hujusmodi *scrupulis* locum concedere, non conveniat, non est tamen etiam planè negligenda *sensibilioribus*, *moderatio*, eò magis, si cum qualicunque *trepidatione* sectionem admiserint, aut quocunque modo, etiam jam facta illa, sibi diffidant, aut metuant; alios autem sanguinis missio sufficiens, non planè enormis, deterrere non debet, quin eodem die, vel iisdem etiam proximis horis, libero aëri se permittant, imo vel peregrè proficisci nihil formident, modo *motus*, qui ipsis nequaquam inutilis est, moderamen non excedat, in *ambulando* præcipuè, aut *equitando*: *vectura* enim minus ferè excessus minatur, dummodo *aëris* intemperies nulla negotium facessat. Omnino vero maximè commodum est, per plures dies post venæ sectiones, quotidiè moderatis motibus corpus agitare, atque adeo expeditiorem sanguinis motum tum localem, per poros partium, tam intestinum, craseos suæ attenuatorium, studiosius celebra-
re:

re: adeoque etiam ipsum illum in hoc quoque genere peculiariter exoptatum affectum, mediante *ventilatione*, etiam ipsi sanguinis *crasi* corrigendæ satisfaciendi, ita impetrare: Cum ex adverso, eâdem desidia, etiam post qualemcunque ventilationem continuatâ, revera ex hac parte irritus manet speratus usus.

XLVII.

Potest autem omninò etiam ad bonum *Regimen*, celebrandæ *sangvinis missionis*, referri ipse LOCUS, quo emissio utiliùs celebrari possit. Quamvis enim antiquæ illæ, (nisi quidem propiorum potius ævorum sunt fallacia,) *superstitiosæ distributiones* Venæ sectionum, secundum specialissimas ramificationes quarum aliæ *capiti*, aliæ *hepati*, aliæ *lieni*, aliæ *mensibus*, aliæ *arthritidi* & *Ischiadi* &c. quasi proximè debeantur, propemodum exoleverit; habet tamen veriorem adhuc locum, divèrsitas totorum veluti truncorum, secundum *superiorem* & *inferiorem* corporis regionem: utpote quæ differentia certissimum, & imprimis in sensibilioribus etiam manifestum, habet usum practicum; uti pluribus deduxit disertè D. D. PRÆSES Dissert. *de Venæ Sectione in pede*. Juxtà quam circumstantiam proximæ dignitatis est, differentia *incisionis majoris*, cum repentino largo effluxu: aut *minoris*, cum valdè tardo successu. Ubi nempe etiam simplici rationi consentaneum est, quod, *repentina* larga evacuatio, præsentius alteret, sensum oeconomiæ corporeæ, quam *languidior*: Nisi quidem summa sit subjecti *sensibilitas*, cujusmodi exemplum allegavit notabile D. D. PRÆSES Dissert. *de Motu Tonico Vitali*.

XLVIII.

In VOMITU, per *artem* quoque provocato, præter *vehiculi* commodam præmissionem habet, omnino etiam locum, in *Evemetis*, *quietior* continentia; quæ, uti nimiam commotionem egregiè *sedat*; ita contra, *motus* inconsiderati, imo ipsius capitis perpetuò *erectus* status, augent facilè *vertigino-*

ſam nauſeam, vomendi *vehementiam*, aut ad minimum *pertinaciam*: Ita, ut poſt aliquot vomitus, ſuccedentibus jam *inanioribus* ſolum *conatibus*, quando ibi, ſive *ſedendo*, ſive prorſus *jacendo*, quietum ſeſe gerit patiens, conatus ulteriores vel penitus ceſſent, vel ad minimum rariùs magis magisque, repullulent: Quoties autem patiens ſeſe erigit, tunc citò, cum *vertiginoſa* capitis turbulentia, novus conatus erumpat, fruſtra patientem fatigaturus. Quæ certè res, in hujusmodi evacuatione in ipſis jam morbidis *inſultibus* aliquando præſcribi ſolita, nequaquam negligi debet, utpotè *nimiam* commotionem, nulla directa ordinationis factæ culpa, ita perperam machinans aut introducens.

XLIX.

Poteſt etiam certè in hujusmodi caſu, *accidentalis* quaſi talis nimiæ commotionis, juxta cum *quietiore* continentia, plus, quam intempeſtivæ medicationes *ſopientes*, ſimplex, reverà medicus, uſus, nempe ad unam aut duas ſolum uncias, *Vini calidi*, ſacharo & *aromatum* pauxillo imbuti, ut certè trepidas etiam ſæpè in hoc genere res, leve hoc medium, prorſus ad votum expediat, & tranquilliſſimas efficiat.

L.

PURGATIONES quod attinet, valet in his moderamen *motus* & *quietis*, una cum *refrigerationis*, etiam ipſius inter *deſidendum* ani, evitatione. *Motus* enim minus conſideratus aut immoderatus provocat interdum *nimiam* catharſeos commotionem; *Deſidia*, imprimis in ipſis languidioribus alvis, ſopit veluti ſtimuli ſenſum: *Refrigeratio* vero imprudens, teſte ſolerti experientià, frequentiſſimà certè cauſa eſt, adminimum conjuncta, communiſſimè, ut *tormina* purgationi accedant, quæ, hâc evitatâ, vel plane nulla, vel pauciora, & nimiò mitiora, obtingere ſolent. Ita etiam *calida*, vehicula quaſi materiæ *evacuandæ*, juſcula hordeacea aut cereviſiaria, promovent placidum magis evacuationis ſucceſſum, & præoccupant *torminum* facilem aut abundantem concurſum.

LI.

Cautio verò certè non vana aut exigua locum ſibi vendidicat, circà debitum purgationum arte provocatarum liberum *ſucceſſum*, ne illæ *voluntaria detentione*, temerè fruſtrando intercipiantur; quandoquidem ab hujusmodi errore, non ſolùm gravia inpræſens incommoda, graviſſimorum *torminum colicorum*, *anguſtiarum ſpaſticarum*, aliquando *Ictericarum* obſtipationum, imò *Ileodeων* converſionum, paſſim inde ingruunt: Verùm etiam *durabilia*, & in longum tempus excurrentia, varia graviora circà abdomen pathemata, minimè rarò initia ſua inde ſumunt. Unde his etiam rebus prudenter indulgere aut obſequi, neceſſarium omninò eſt.

LII.

Imò verò non abs re erit, hoc ipſo loco etiam mentionem injicere, rei certè nequaquam frivolæ, quæ *Claudium* Cæſarem non ita penitus abſurdè, ut res abſolutè commemorata ſonare videtur, ad Edictum permovit, hunc in finem promulgandum, cum miſerrimum ſtatum conſpexiſſet, in quem à contrario ſuſcepto, inciderat patiens quidam. Loquor de *flatuum coacta repreſſione*, in ſubjectis, *atonia* hac vaga inteſtinorum familiariter affici adſvetis. Ego certè, PRÆSES, non pauca ejus rei commemini exempla, ubi graviſſimorum, & imprimis acerrimè *contendentium*, *torminum*, quaſi *rumpi* inteſtina minarentur, variæ hodiernæ Pathologicæ ſpeculationes, & Praxeos *Narcoticæ* tentationes, una cum *abſorbentibus*, acerrimè ſtimulanti materiæ, & *calidis carminativis*, jam materiæ, jam tono viarum deſtinatis, multa trepidè & tamen fruſtra agitarentur, & commotio *ſalium ſcorbuticorum* proram & puppim rationum & intentionum abſolveret: Ubi tamen ſolertiùs facta perquiſitione, nullum aliud manifeſtius ſuberat fundamentum, niſi quod patiens *flatus urgentes* temerè *cohibuiſſet*: Vel etiam alvum, etiam citrà artificialem acriorem *ſtimulum*, ſaltim ſua ſpontè *urgentem*, detinuiſſe: unde *clyſter* unus & alter efficiebat, quod omnia illa artificia

non modo non potuerant, sed etiam hic illic, ante talem alvi *reserationem* ingesta, imprimis *opiata*, graviter depravaverant. Ubi certè alvi talis *solutio, lenitio, emollitio*, cum fotu calido *exteriùs* applicito, etiam operculi ollis fictilis (si alia deessent,) plus passim prodest, quam perversæ speculationis multiplex solertia. Et habet hæc res frequentissimum locum in *muliebri* imprimis Sexu; quibus ab his initiis certè sæpenumero pathemata talia subeuntibus, dum fomentis illis citò animum adjiciunt, si simul svadeatur, ut quacunque simplici arte, *clystere* domestico, imò vel *suppositorio* moderato, *alvi* simul *apertioni* invigilent, non indigebunt solùm nullis prolixioribus *medicis* auxiliis, sed absolvent etiam ita dolores suos, longè citiùs & constantiùs, quam sub nudorum *fomentorum* usu, & fortasse Evporisti *carminativi tonici*, ut Aquæ *Menthæ, Pulegii, Melissæ* &c. subsidio, longè tardius, & vix non subindè repullulando, tandem vincunt.

LIII.

Certè verò circà SUDORES, prudente opus esse *Regimine*, multa hinc inde testantur exempla, perperam procedentium eventuum, si improvidè administrati *sudores* fuerint. Addenda verò hoc loco est omninò animadversio Practica minimè rejicula, circà *indolem* patientium variam, ab *educatione*, imò ipsa *nativitate*, à *matribus* admodum teneris & sensibilibus, à reliquo *vitæ genere*, *assvetudine* aut *insvetudine*, & denique *Sexu*, imò etiam *debilitatione*, aut *trepida sensatione*, ab aliis jam *prægressis morbis* introducta. Ubi nempè cavere certè sibi debent, quicunque Practicorum *plebejis laboriosis*, *robustioribus*, subserviunt, ne experientiam circà talia subjecta sibi observatam, temerè transferant ad diverso more dispositos. Quod certè offendiculum non raro ingentes turbas in commendandis medicamentorum & methodorum energiis, exhibere potest, sicut ejus rei ingens exemplar, & locuples planè, præbere potest *Rulandinarum curationum* cohors. Quibus autem praxis inter *teneriores*, *deli-*

delicatiores, *meticulosiores*, *impatientiores*, *infirmiores*, ab aliis *prægressis* morbis turbatiores, malis *adsvetudinibus* obnoxios, patientes, obtingit, illi habent sanè, quod etiam in his generibus prudenter ordinent, imò hunc in finem etiam passim ipsorum affectuum specialissimas *opportunitates*, & rectè intelligant, & dextrè prosequantur.

LIV.

Involvit autem *Regimen sudoris* rectè instruendi, ante omnia *Tempus* conveniens; ubi inquam *in genere*, & quibus veluti *horis* peculiaribus *in specie*, *Sudor* expectari, aut *provocari* debeat; deindè *modum* etiam ejus seu *mensuram*, quàm copiosè aut potiùs *moderatè*, sudare conveniat: *Tertio*, quomodo etiam *post sudorem* sese gerere, non magis ex usu, quam necesse sit. Ita quidem considerandum veniet, quod *Evacuatio sudorifera*, (nisi quidem *directè serosæ* humiditati evacuandæ quasi simpliciter inservire debeat, ut aliqui in *hydropicis* tumoribus tentare solent,) quam maximè quadret & conveniat *halituosis* potiùs solis materiis; & consequenter etiam ejusmodi affectibus, in quibus *halituosæ* tales materiæ propriè peccant. Quod enim sudationes *Venereâ Lue* affectorum concernit, puto neminem fore solertiùs speculari adsvetum, qui illa *evacuatione* malo huic directè consuli, in animum inducat; dum neque simplex *evacuatio* serosa huic scopo satisfacit: Nec etiam *contagium* venereum ita *halituosum* est, ut *vapore* ipso sudatorio dissipari valeret: Sed omninò potiùs præcipua intentio hic subsit, partim frequentiore atq ue diuturno Regimine actualis *caloris*, moderato *augmento motus* humorum *intestini* attenuatorii & quasi colliquatorii ita velificari: Partim etiam hoc ipso Regimine, penitiori *perreptationi* medicamentorum, cum humoribus per omnes veluti meatus subtilissimos corporis, ita veluti subsidio esse: Quamlibet nec etiam excludamus actualis auctioris *evacuationis* serosæ intentionem: dum utique sub hac curationis methodo vera intentio esse videtur, *totam* quæ tunc præstò est

massæ

massæ sangvineæ mensuram, tantò temporis spatio, 3. à 4. septimanarum, sensim in serum fatiscentem, vividiore commotione *eliminandi*, & parcè subnascentem novam, qualicunque specifica efficacia remediorum, â corruptela illa pariter specifica *liberando, totam novam* non solùm, sed etiam *puram* massam sangvineam ita instaurandi.

LV.

Neque verò etiam ullo modo negligi, ne dum negari, debet, institutum, ipsi omninò Naturæ, citrà artis instinctum, familiare, *evacuationes* etiam simpliciùs *serosas* per spontaneam sudatoriam *emissionem* excutiendi; id quod ordinariè facit in Febribus *tertianis*, *finiente paroxysmo.* Ubi nempè sub *calore* paroxysmi fortius exagitatus intestino motu sangvis, aliqua sui parte actu in serùm *colliquatur*: Quod proinde, absoluto tandem ita hujus paroxysmi penso, tanquam ultimo totius paroxysmi actu, extra totum corpus proscribitur.

LVI.

Interim habet utique reliquum *Sudatorium* Regimen, hanc præcipuam intentionem, ut plus *vaporosa*, quam simpliciter *aquosa*, evacuatioue, præstare satagat. Huic fini nihil melius atque certiùs conducit, quam *calor temperatissimus*, spontaneam vitalem temperiem vix quidquam excedens; sed potiùs illam solùm placidè & æqualiter fovens. *Secundum* verò locum occupat omninò *continentia* benè *tranquilla*, imprimis ubi affectûs indoles, aut patientis, *sensibilior* & inconstantior existit: Sivè ex se, sivè per accidentales perturbationes: Quo postremò maximè casu, ingentem reverà usum habet hujusmodi voluntaria suscepta *quies*, imprimis si etiam *animi* patientis æqualitas conspiret. *Tertium* locum tuetur *potus actu calidus*, moderatè, sed sæpius, assumtus: Vbi certè usitati hodiè potus *Thée* & *Coffée*, egregiam operam navant: Abstinendo solùm à copiosa & saturatiore utrorumvis *tinctura*, sed v. gr. *Coffée* Drachm. unam pro Libra

Libra una Aquæ, *Theé* vero vel ſcrupulum unum, melioris notæ, adhibendo: Cujus utriusvis potus unciam unam ſemis, vel duas, pro uno hauſtu ſumſiſſe ſufficit, pro diverſitate tamen molis corporis: calore interim horum ad patientis placidum moderato, quantò calidius tamen, eò ferè melius. In *Chronicis*, promovet ſudationis promtitudinem etiam *vapor humidus calidus*, corpus exterius ambiens; quem quidem curioſiores *ſpiritus ardentis* calido halitu inducere ſuſcipiunt: Simplicitati verò etiam faventes, hypocauſtis uſitatis anguſtioribus, quorum furnulo alveus cupreus aquam ferventem continens, & vaporem illum exhalans, impoſitus eſt. Aut in *ciſta ſudatoria*, Laconica vulgò dicta, vapore aquæ, lateribus aut ferramentis candentibus affuſæ. Ultimum propemodum locum merentur placidæ *frictiones*; quæ imprimis manantis jam ſudoris placidæ continuationi, non malè conferunt.

LVII.

Sicut autem ita *Sudor halituoſus*, locum habet in affectibus, halituoſum *fomitem*, aut *recrementum*, ſub ſe comprehendentibus; qui modo dicta quoquè ratione decenter obſequetur. Ita eſt tamen etiam ſubindè conſiderandum, quo maximè *tempore*, eliciendus, aut *expectandus* veniat Sudor. Quæ res omninò plus conſiderationis meretur, quam vulgò credi poſſit. Omnem difficultatem tollit quidem reverà, *placidiſſimum Regimen*; quo ipſo maximè intuitu hoc etiam primò ſtatim loco conſtituimus: Quo nempè nihil quidem *poſitivè* velut *impellatur* & exagitetur; interim etiam *ſpontaneo* Naturæ motui, nihil usquam moræ ne dum impedimenti objiciatur: Quo ipſo certiſſimè, nequè intempeſtivè commovebitur quidquam, nequè quod tempeſtivum eſt, retardabitur, quin juſtos ſuos progreſſus rectè aſſequatur & exequatur. Si verò tanquam determinatum noviſſe juſtum hujusmodi *tempus* animo ſedeat, eſt hoc, in affectibus quidem, quorum cauſa verè *halituoſum* quiddam præ ſe fert, vel ab ipſo

mox *initio* totius affectus, satis opportunum; Ut nominatim in *Peste* & verè *pestilentibus* Febribus. Habet hujus rei specimen aliquod & verum exemplar *Sydenham*, in Iuvene Pharmacopæi fratre, cui ab ingestis variis medicamentis, nihil nisi simpliciter exacerbata est mali vehementia, ut non solum omnis quies patienti eriperetur, & in juges summas angustias conjiceretur: Sed etiam, laudabiliore certè ipsius Naturæ conatu, quicquid variorum medicamentorum studiosè ingereretur, statim vomitu excuteret. Huic ita affecto patienti, cum *Sydenham* svasisset, sepositis tantisper omnibus medicamentis, decubitum nudum in lectum, & tranquillissimum situm; mitescentibus ita, in horas, omnibus gravioribus symptomatibus, non solum maturè in *spontaneum sudorem* deductus est æger, sed cum etiam deindè medicamenta ipsi offerrentur, placidè prorsus illa retinuit, & exoptato ulteriore successu morbum pestilentem feliciter superavit. De *Sudore Anglico* verò, quæ jam sub introitū Dissertationis attigimus, sunt utiquè etiam ad hunc propriè locum summo suo jure referenda.

LVIII.

In *Continuis* autem prudentissimè observandus, ut rectè deprehendatur & agnoscatur, est ipse *Typus*; quomodo ad sensibiles *exacerbationes*, & qualescunquè *remissiones*, se se gerant. Quanquam enim certum omnino sit, quod minimum omnium errare contingat, si semper ita moderatè se se gerere æger continuet, ne *spontaneus* sudoris successus temerè reprimi possit: Quoniam tamen apud omnes atquè singulos patientes, non ubiquè par obtingit obsequium, expedit omnino tanto melius scire & intelligere exactius *tempus*, quo sudoris *legitimus* proventus tanquam propriè *expectandus* venit: Ut nempè hac ratione, ad minimum sub illo temporis articulo, tantò circumspectius sese gerere moneatur, & ad minimum ita *privativum* hoc Regimen, *impedimentis* inquam cavendis intentum, ita in usum trahatur,

ne

ne huius temporis & *opportunitatis* neglectu, graviora demum damna locum inveniant. Iterum enim omninò dictum hoc volumus, quod nec in hisce Febribus, *positiva* sudoris *expulsio*, locum justum habeat; minimè omnium verò *intempestiva*; nempè à vera mensura *justi temporis*, quod *declinationem* Paroxysmorum comprehendit, aliena, & in ἀκμὴν Paroxysmi, aut ipsa ejus impendentis primordia, incidens.

LVIIX.

Si verò usquam circumspectæ *Regiminis sudoriferi* administrationi attendere convenit, est hoc certè in quibuslibet *exanthematicis acutis*, *contagiosis*. Hac de re, licet jam superius præcipua monuerimus, non tamen de nihilo erit, adhuc semel etiam præsente loco iterum mentionem injicere. *Sudorem exanthematicis* affectibus, neque *necessarium*, esse, nec ullo conspicuo modo vel solum *utilem*, demonstrat satis illa horum omnium indoles, quod non solum certis demum *diebus*. exanthemata talia legitimè compareant, sed etiam nusquam, juxta veram vim Grammaticam usitati vocabuli *eruptionis*, sed longè veriore imitatione *tacitæ* atquè benè *maturæ efflorescentiæ*. Cui rei tanto plus veræ lucis affert experientia, quod alias satis sanis, nequè vero etiam ullo exquisitiore vocabuli sensu *robustis*, sed quantumcunquè quoquè teneris, si solum continens Regimen prudenter servetur, simplicissimè imò verò lenissimè *privativum*, ne inquam actuali *refrigerio* pateat locus, exeant hæc exanthemata rectissimè, & liberrimè. Cum ex adverso, eadem experientia affatim testetur, quod omnis non solum *præmatura*, sed omnino etiam ipsa *nimia*, exagitatio, & imprimis *concalefactio* sangvinis, certas difficultates *triplices* objiciat; nempè 1.) ut hac ratione, exanthemata illa cum majore *angustia*, & *perturbatione* patientium, procedant; 2.) nec etiam subsistentiam post hac servent decentem, sed admodum ancipitia sint imo vero proclivia, ad *retrocedendum* potius, quam matu-

rescendum: Aut ad summum 3.) ita *copiosè* emergant, ut deindè patientes, imprimis in *variolis*, ingente, maturationis comite *ardore*, denuò gravissimè affecti, in novas inde perturbationes & ancipitis eventus ingentia pericula, conjiciantur. Hæ itaquè circumstantiæ, svadent utiquè decentem, & certè prudentem atquè peritam, harum rerum *gubernationem*. Ut vero, pro nostro scopo, rem brevissimis expediamus, asseveramus, quoquo modo *sudatorium* Regimen, in his affectibus esse *inutile*; versus tempus eruptionis, aut sub hujus imprimis initiis, etiam revera *nocendo* propius: imo, quanto immodestius instruitur, eò certo periculo propius: solam autem *refrigerationis* exclusionem hic omnino sufficere, junctam tamen cum evitatione impatientis corporis *jactationis*. Quo nempe intuitu, tam quantum ad ipsum *Regimen*, quam ad *medicamentorum* ordinationem, tantò melius ita scopo suo satisfaciet Medicus, *abstinendo* inquam prudenter ab intempestivæ *activitatis* consiliis, invigilando autem ipsius naturæ tempestivis atque moderatis conaminibus, eorumque liberum successum ab impedimentis, magis bono consilio & *Regimine*, quam aliis positivis artificiis, vindicando.

LX.

Superest ut mentionem injiciamus cautelæ, in circumspecta Praxi revera non contemnendæ, circa usum *Alexipharmaco Diaphoreticorum* in *acutis*, & imprimis *malignis*, in subordinando *Regimine*, transpirationem liberiorem minimè impediente: aut contra, non obtinenda hujusmodi moderatione, omittendis, aut certè prudentissime exhibendis hujus efficaciæ remediis. Nempe vulgata opinio plurimum ceu *directè* ita tribuit *Alexipharmacis*, ut iisdem, (sine tam peculiari respectu ad quamcunque *evacuationem*,) *subigere*, *corrigere*, *invertere*, malignas, contagiosas, & ut vulgo loquuntur, *venenatas* talium morborum causas, animo insideat. Cum autem hæc spes revera maximè inanis existat, nisi dexterrimè ipsa *Excretio* placida & rectè tempestiva potiùs decentissimè obtinea-

tineatur; interim enim ipsa pleraque *Alexipharmaca*, quæ, (citrà prorsus impudentia nova commenta, & nullo usquam fundamento innixas speciosorum nominum impositiones, revera adhuc aliquid efficaciæ hic exerunt, præcipuam manifestariam efficaciam exhibeant,) in *sudoribus*, aut sane largioris *transpirationis* manifestioribus augmentis, promovendis: Et quidem non sine satis sensibili etiam *intestini motus* sangvinis intensione: Quando jam hujusmodi remedia temerè in corpus, & largius quidem, ingeruntur, Patiens autem verè patiente Regimine sibi non prospicit: sed potius ita incommodè sese gerit, ut *refrigeratione* qualicunque, Peripheria corporis potius stipata, & largiori transpirationi inepta reddatur: Ibi fit, exemplis minimè raris aut ambiguis, potius facillimè, ut remediorum horum, non solùm nihil boni effectus obtineatur, sed reverà potiùs *damnum* inducatur, dum commotione graviore sangvini inducta, exitus interim intercipitur: Quo nempè casu & intuitu longè utique consultiùs fuisset, ab hujusmodi commotione prorsus abstinuisse.

LXI.

Cæterùm autem generale quasi *sudoris* eliciendi, in *Chronicis* magis constitutionibus, opportunum tempus esse utique videtur illud, quo etiam ordinariè & in statu *secundum naturam*, absolutæ reliquæ concoctiones, non solùm penitius & æqualius in totum corpus distribuerunt humores: Verum etiam ultimam hanc *repurgationem*, ita debito velut ordine subire, & recrementa tandem tenuissima dimittere, aptissimè possunt. Est autem hoc tempus, in constitutione *secundum naturam*, aut proximè adhuc disposita, ipsum *Matutinum:* Nempè à *tertia* vel *quarta* hora post mediam noctem. Et manu ducit nos quasi, hæc ipsa mentio, ad monendum etiam aliquid circà *Spontaneos* Sudores *anniversarios*, qui aliquibus hominibus, imprimis tamen jam *consistenti* ætati vel propioribus, vel actu addictis, evenire solent. Obtin-

gunt hi maximè familiariter *Æquinoctiorum* tempore, & imprimis propemodum *autumnali* æquinoctio. Emicant autem quàm maximè circà ante nominatas *horas*, aut paulò fortè maturiùs, mox à *secunda* post mediam noctem. *Subjecta* quibus obtingunt, sunt admodum frequenter de reliquo etiam ita satis *sana*; communiter autem *Plethorica*, in Diæta pleniore, & otiosiore vitæ genere constituta. Plerisque sub hoc ipso quotidiano sudoris fluxu, qui etiam multis, XIV. dierum spatio non penitùs cessat, satis de reliquo benè est; nisi quod aliquibus aliquamdiu antè, quàm hic sudor sese exerit, reverà *fastidiosa* quædam *gravitas* corporis & *animi*, imprimis autem *artuum* velut *inertia* peculiaris, adhærere sentiatur: Comitante etiam, sed raro effatu valdè digno, *appetitus* tædio: *Somni* etiam vel *inquietudine* molesta, vel ad minimum insufficiente ad optatam restaurationem effectu, quin potiùs etiam ipso somno *torpidiores* atque graviores se reddi conquerantur.

LXII.

His quidem *Sudoribus*, asseveramus opus esse ejusmodi prudente *Regimine*, ut nihil *alienum* circa illos, per errorem, suscipiatur. *Nimium* quidquam, licet haud æquè metuendum videatur, non desunt tamen etiam exempla minùs patientium aut præposterè satagentium, qui potius per brevem manum satisfieri posse hujusmodi conaminibus Naturæ interpretantes, non tam *obsequi* his sudoribus, seu fovere eos, sed *promovere* potius, *augere* & *intendere* eosdem, sibi proponunt: Ut ita vel simul & semel negotio defungantur. Alii verò *tædio* obsequii, alii etiam negotiorum suorum detrimento aliquo metuendo, alii *debilitationis* metu, quantum satis etiam est indulgere his dubitantes, malè ita ipsos gubernant & administrant. Quid, quod neque desunt, qui sudores tales, latentis morbi indicium esse interpretantes, eosque cum *hecticis* & *colliquativis* confundentes, artificia iis opponenda quærunt, cum periculo non levium aberrationum, si in artifices inciderint meliora non satis doctos.

LXIII.

Quemadmodum autem circà hoſce præſentis notationis ſudores, circumſpectio utilis eſt; Ex adverſo verò, incommoda horum tractationum *ſuppresſio* antè omnia, affectibus, *Rhevmatico-arthriticis*, & *Febribus* ita dictis *Catarrhalibus*, imo καυσώδεσι & *Eryſipelaceis*, occaſionem præbent, quin univerſam ſanitatis Syntaxin ſenſibiliter turbare, & *humidioribus* etiam, totius maſſæ ſangvineæ *pituitoſam* intemperiem conciliare, & *oedemata* introducere: ita merentur etiam juſtam ſui mentionem *Sudores copioſi*, qui *poſt Febres*, præſertim *continuas*, imò nominatim *compoſitas*, ſub decurſu ſuo circà ſudoris tempeſtivum ſucceſſum perperam adminiſtratas, familiariter ſuccedere ſolent, recolligente ſe jam ſpontè Natura. Ubi videlicet, revertente jam *appetitu* ſenſibili, & imprimis *ſomno*, & ſatis prompto & ſatis profundo, nec etiam aliis ita dignis effatu incommodis amplius ſe exhibentibus, *calore* præſertim â naturali gradu vix ſenſibilem declinationem offerente, ſimul atque patiens hauſtum aliquem tepidiorē aſſumſerit, certisſimè & plurimum omnium autem, ſimul ac obdormiverit, diffluit in *ſudorem* abundantisſimum, qui non deſinit, quam diu *dormit*: & quamlibet etiam iteratis vicibus induſium ſiccum capiat, ſimul atque oculi iterum ad ſomnum connivent, toties præſto eſt ſtatim, & continuat abundanter, hic ſudoris fluxus.

LXIV.

De his *ſudoribus*, experientia numeroſa teſte aſſeverarè licet, quod nullum ab ipſis metuendum ſit ſonticum damnum, modo rectè gubernentur: Benè verò perverſa illorum æſtimatio, & conſequens tractatio, malorum eventuum author evadat. Quando nempe hujusmodi ſudores, temerè pro *hecticis* & *Colliquativis* damnantur, & illis varia, imprimis autem *antihecticà* & *antiphthiſica* vulgata, plus minus ſenſibiliter *adſtringentia*, largo imprimis, imò continuato, abuſu, opponuntur: Cum unum leve remedium, quod vulgo ab

omni

omni *adſtrictionis* nota liberum æſtimatum, etiam largioribus doſibus præſcribi ſvevit, his ſudoribus, *minimâ doſi ſemel* per unam noctem, adhibitum, vel ipſa unâ, ſi ita rem dirigere placeat, vel certò alterâ nocte, eos placidiſſimè cohibeat atq; ſiſtat. Neque verò interim etiam propriè opus eſt velut abſolutè ullo tali ad *cohibendum* artificio, cum ſolùm *Regimen* ſufficere poſſit: imò etiam, cùm qualicunque tandem verè idonea & nihil perplexa aut ancipiti artificiali tractatione, concurrere debeat. Ita enim, ſi hi ſudores ſolùm cum illo moderamine decenter tolerantur, ne actuali inſigni *calore* integumentorum, præter rem ſudor velut *impellatur*; cavendo tamen etiam, ne actuali *refrigerationi*, quam omninò ægrè ferunt, patientes tales exponantur: Interim autem etiam patienti, tam *cibis* bonis, quàm *potu* ſufficiente, (nullam aliam incommodam efficaciam ſimul obtinente,) quantum ſatis eſt, ſuccurratur; decreſcunt ita ſenſim, & deſinunt tandem *ſpontè* rectiſſimè, hi quoque ſudores, cum plena & ſecura patientis Euphoria. Si verò etiam medicari ipſis tandem placeat, (quandoquidem certum eſt, quod *largiùs* quam directa neceſſitas ſimpliciter exigat, omninò fluant:) Eſt tamen ita etiam omnibus modis ſervandum *Regimen*, ut hæc ipſa medicatio, non ſtatim & *præmaturè*, in effectum deducatur, ſed omninò per initia ſimpliciter modo dicto *Regimine*, & imprimis *refrigeratoriæ* repreſſionis evitatione, huic ſudori ita prudenter indulgeatur, ut omninò per aliquot dies ſucceſſum ſuum retineat, iterum dico, modo adumbrato *Regimine* ita temperatum: & *analepſi* quoque moderata quaſi ſimpliciter Diætetica, temperantiſſimi uſus *Vini*, & *Emulſionum* amygdalinarum, quantum tolerabile videtur, in ſubſidium adhibita. Ita, poſtquam ad minimum omnium *quatuor* noctes, meliùs *ſex* ad *octo*, ſub antedicto *Regiminis* moderamine, ſudor hic toleratus eſt, poteſt deinde, juſtum & verè efficax, *tonico-analepticum* remedium, in uſum trahi, quamvis ita moderata doſi, ne ipſum etiam *repen-*

tina

tina & quasi *præceps* simul & semel *cobibitio* sequatur: Sed potius *duobus*, imo *tribus*, deinceps, diebus, demum lenibus successibus decrescendo, denique planè cesset. Ubi tamen adhuc insuper sic affecti patientes, omninò omnium optimè sibi consulunt, quando etiam post cessantes ejusmodi sudores, tam vestitus, quam liberi aëris, usum, ita gubernant, ut ab omni transpirationis *cohibitione*, imprimis autem repentina ejusdem *represssione*, immunes maneant. Ubi breviter notare in mentem venit, insignem usum, imo veluti necessitatem quandam, ad transpirationis *liberum* & benè *æqualem* successum, conservandi caloris *tibiarum* seu *crurum*, *tibialibus* nempè densioribus, atque spissioribus: Dum revera quantumcunque sensibilioribus, ut omninò sunt modo dicta ratione affecti, *crurum* frigus, & ante omnia quidem *repentinum*, plus ad totum corpus alterandum, valet, quam si æqualiter totum corpus frigus allapsum corripiat. Id quod omninò passim usum habere potest, in utroque, maximè tamen *masculino* sexu, harum partium etiam ordinario calori adhibendo magis adsveto.

LXV.

DIURESEOS, uti rarissima obtingit occasio, ita nullum etiam singulare *Regimen* ejusdem, tanquam ex instituto, requiritur; potius autem illud monendum interdum venit, spontè quoque sese offerente, nempè citra medicamenta, benè verò à potulentis fortè, urgente quasi *Diuresi* seu urinæ mittendæ necessitate, ne tunc illa reprimatur & simpliciter retineatur. Dum ab hoc etiam inconveniente ausu, verè gravia sæpe numero pathemata pullulant, sicut tantò magis, ubi etiam per actualia Drasticotera *Diuretica*, Urina intemperantiùs *commota* est, *detentio* ejus hujusmodi arbitraria coacta, facile, & vix non certissimè, gravissima incommoda post se trahit.

LXVI.

De alio verò Evacuationis tanquam simpliciter artificiosæ genere, nempe SALIVATIONE, tantò justius non solùm

est, quæ ê re sunt, monere: Verum etiam tantò magis necessarium. Quandoquidem hæc operatio non solùm passim promptius in usum trahitur, quam necesse sit: Sed etiam minus dextrè atque circumspectè administratur, quàm securum atque tolerabile sit. Quamvis itaque videri possit magis ad *methodum directam* Salvandi, quam ad *Regimen* salivationis pertinere, quomodo aggredi illam deceat, *quantitate* præcipuè imò etiam *qualitate* medicamentorum; non inconveniens tamen erit, quia certè expedit, & passim necessitas ipsa excusat, monere, ne Salivatio *repentino impetu* instituatur, sed potiùs moderatis dosibus. Siquidem statim recitare possemus exemplum, ubi juvencula, per omnem veritatem *sana* potiùs, quàm vel ullo alio, vel hoc ipso venereo malo, verè affecta, ê *præcipiti commotione* Salivationis, *quinto* manè, cum summis anxietatibus, interiit: Quotidiana ferè propemodum exempla, ubi â tali *præcipiti* commotione, etiam robustiores, tum graviter periclitantur, tum verum speratum usum totius hujus ausus nequaquam reportant, frustra sit allegare, cum nota passim sint: Minimè *perreptante* ita, uti crassi hujusmodi Theoretici contendunt, majore Mercurii quantitate, & fortiore commotione, ita totum corpus: sed frustrante potiùs cruda tali *exagitatione*, penitiorem & subtiliorem *insinuationem* in exquisitos meatus. Ubi etiam, porrò, quanto *simpliciora* sunt, atque *temperatissima*, *mercurialia* remedia, eò certior & securior est successus: Ubi Mercurius rectè *dulcificatus*, *internè*; *currens* autem in ungventis *externè*, aliis quibuscunque formulis non solùm par, sed verius superior atque dignior est. *Tertium* autem quod considerationem eximiam hic mereatur, est omninò digna *præparatio corporis*, priusquam salivatio excitetur: quæ nempè in legitima *prædispositione* corporis, tam per crassiorum communium sordium subtractionem, quam per *conspirabilitatis* liberæ procurationem sufficientem, plurium dierum continuata decente administratione, in effectum deduci debet.

LXVII. Ipsi-

LXVII.

Ipsius autem Salivationis, jam susceptæ & decenter concitatæ, verum ulterius *Regimen* atque *moderamen*, involvit omninò ejusmodi subordinationem, imprimis modo dictæ sufficientis justæ *conspirabilitatis*, ut ita placida *perreptatio* Mercurialis alterationis per universos humores, satis rectè atque expeditè succedere valeat. Ubi tamen iterum nequaquam opus est, actuali *coacto sudatorio Regimine*; nempè ad consvetæ, uti vulgò vocant, *sudatoriæ curationis* ordinem: Benè verò potest tolerari, tam moderatus *gradus* caloris, quam *Decoctorum* etiam lignorum tenuiorum usus, & talis, etiam in lecto, *continentia*, ut æger potiùs perpetuò madori propior sit, quam ulli *refrigerationi*: *Refrigeratio* enim, quantò *sensibilior* tantò pejor hic semper est; Imò verus architectus anxiorum passim *Symptomatum*: Quæ absurdum sit jam ab his, jam ab aliis violentis causis arcessere, verè inani Pathologia; & nihilo etiam melius, variis medicamentorum subsidiis expugnare velle, cùm facilè, nisi *Regimen* hoc justum demum rectè negotio consulat, per talia ipsa, symptomata actu potiùs exacerbentur.

LXVIII.

Quando itaque *Salivatio*, sub judiciosa tamen utique etiam roboris corporis discretione, *moderatis*, ad verisimilem *proportionem*, dosibus medicamenti mercurialis, concitata est; tum etiam prudente sub æstimatione, *repetitum* medicamentum, quantum conducat; Et *salivatio* etiam placidè, imò quantum satis esse videri possit, procedit: (præsupposita *præmissione* decentis *præparationis* corporis ante suscipiendam hanc concitationem,) Tunc convenit, illam ita expectando atque tolerando prosequi, Germani dicunt, Ab- und Auswarten / ut antè omnia modesto illo *calore*, & sufficiente etiam *humectatione* potulentâ, imò moderata actuali *Diapnoë*, etiam per decoctum *tenuè* lignorum promovenda, successus totus ita feliciter ad finem deducatur. Ubi

nempè ſimul circà *continuationem*, aut iterum ceſſationem, hujus evacuationis, meritò utique notandum venit, quod niſi quidem medicatio ipſa in *quantitate* medicamenti, & *impetu* commotionis, quod ajunt, in limine, graviter ceſpitaverit, quod ibi ſufficiat, ſolùm indulgere fluxui, ſine ulteriore tantùm pluris Mercurii exhibendi repetitione. Ita enim etiam ſpontè ſenſim ſenſimque ceſſat Salivæ fluxus. Medicè tamen magis pharmacevticè, quàm ſimplici regimine, habet pluribus nominibus uſum, ſimplex omninò *Pimpinella alba*.

LXIX.

Omninò verò neceſſe eſt, ut *Salivatio* rectè ſuſcepta, etiam decentem ſuum tàm ſucceſſum quam exitum ſortiatur; ut nimirum non minùs, quam ſufficere poſſit, in corpore perpetret, ſed penitùs, colliquatoriam ſuam & evacuatoriam intentionem, abſolvat. Aliàs enim minimè rarum eſt, videre patientes, imprimis ab inconditis ejusmodi *repentinis commotionibus*, mox ab initio ſuſceptis, velut incuneatos in uno aliquot loco dolores retinere; qui, licet ſub ipſo progreſſu evacuationis, minùs urgeant, tamen revertente qualicunque poſt hac Orthoſtadia, pleniore diæta, & nova humorum copia, reverà de novo quaſi patienti inſigne negotium faceſſunt: nec etiam domari queunt, priusquam *denuò moderatè* ſuſcepta Salivatione, etiam illud quod ita intactum reſtiterat, penitus auferatur. Ubi quidem imprimis, ad ejusmodi particulares velut innidulationes materiæ hujusmodi malignæ, propiùs attingendas, valet uſus, ſed omninò dexterrimus, non rudis, nec immediatè ad partem adhibitus, neque copioſe inſtitutus, *Ungventorum* mercuriatorum. Quæ tamen res cum non tam ad noſtram tractationem *Regiminis*, quàm ipſam potiùs *methodum medendi* pertineat, non convenit circà illam prolixitati indulgere.

LXX.

Speramus poſſe hæc intentionibus noſtris, & propoſito ſco-

ſcopo, ſufficere, ut non opus ſit prolixioribus, imprimis peculiatibus etiam, deductionibus, propriam tractationem promerentibus v. gr. *Regiminis Gravidarum* : Tantò minus, cum etiam antè hos paucos demum dies, hoc ipſum negotium magis ex inſtituto tractatum ſit. Unde quidem placet, *unicum* adhuc, ſi non ipſo toto argumento, certè tamen ſententiæ noſtræ tenore fortè, particulare objectum, breviter tamen exequi, nempè *Regimen* VALETUDINARIORUM. Denotamus autem hoc nomine non exquiſito æque aliquo *ſtatario* morbo ſimpliciter, detentos; minimè omnium autem *Hydropicos*. Sed tales maximè, qui & aliàs *levisſimis* de *cauſis malè habere*, & à paulò *rudioribus*, etiam eximiè affici, conſveti, tamen nullum æquè *manifeſtum genus* morbi offerentes, ſaltim ſub generalibus illis, ſolo uſitato more, *perplexo* nomine perſtringi ſolitis, vexationibus corripiuntur, quos turba Practicorum ſub *Rhevmaticis, Catharralibꝰ, Phthiſicis*, ſeu potius *tabidis, Hypochondriacis, Colicis, Nephriticis*, imò, citra manifeſtisſima ſpecialisſima ſigna, *Scorbuticis* pathematibus numerat. Flüßig/ kalte Flüße/ reißende Flüße/ zu Steck-Flüßen geneigt/ kalter und ſchwacher Magen/ Miltz-Beſchwerung/ nd Verſtopffung des kleinen Geäders/ Colic/ Mutter-Beſchwerung Stein-Beſchwerung / Scorbutiſch Geblüthe/ Scorbutiſche Flüße/ Scorbutiſche ſcharffe ſalia, &c, &c.

LXXI.

In hujusmodi conſtitutionibus, commendamus, ut juſtus reſpectus habeatur, ad diſpoſitionem ægrorum talium, quam ex *abundantia & commotione ſangvinis* ipſis adhærente, &, ſi res rectè æſtimetur *ventilationes* juſtas *promerente*, quin potiùs jam per *ſpontaneas* ſangvinis exonerationes, *aſſvetudine* quaſi quadam, hinc inde ſublevari ſolitâ, exhibent prudenter conſiderantibus. Interim, non ſuccedentibus decenter harum exonerationum qualibuscunque *conaminibus*, facilè deindè, & magis magisque quidem, evenientibus ita hujusmodi repetitis *commotionibus*, & inde prognaſcentibus *re-*

ſtagnationibus, regurgitationibus ſeu *translationibus*, *ſpaſticis contentionibus*, imò paſſim etiam tandem *ſtaſibus*, & inde variis *tenſionibus*, *gravationibus*, *ardoribus*, *doloribus*, *&c.* faciles & varias valetudinis ſuæ perturbationes experiuntur.

LXXII.

Non poſſumus nobis temperare, quin de hac re offeramus locum *Hippocratis Prorrheticorum II.* circà finem. Quem Programmate Diſſertationi huic noſtræ ſuffixo, latius explicatum legere licebit.

LXXIII.

His itaque, ſic affectis, *præſervativum* quaſi *Regimen*, ne *toties, tàm facilè*, tàm *vehementes*, aut certè *malè morati*, eveniant pathematum ſuorum inſultus, maximè omnium ſvadenda atque commendanda venit, tempeſtiva *ventilatio* ſangvinis, *artificialis*: Imprimis ſecundum *ætates regionibus* corporis rectè conſpirans, & maximè omnium in *inferioribus*, nempè *pedibus*. *Scarificatio* quoque alias *conſveta*, imò etiam ita alias per legitimam & prudentem circumſtantiarum rationem *utilis* exiſtimanda, habet hic locum non poſtremum, in *diſpoſitis* imprimis, meritò benè perpendendum atque æſtimandum. *Hirudines* autem certè, orificio ani applicandæ, ubi in uſum trahi poſſunt, ſed dextra applicatione, & repetendo etiam uſu, ad pleraque horum pathematum plus omninò poſſunt, veluti directè, quam pleraque alia. Breviter, *justæ ventilationes* ſangvinis, vendicant ſibi, pro *talium* patientium *Regimine*, tanquam *præſervatorio*, verè ipſum primatum.

LXXIV.

Proximum hujus *Regiminis* momentum eſt, ut patientes hujusmodi ſibi temperent, à *multitudine*, tam *numeri* quam *ſpeciei* Medicamentorum. Pro quo quidem negotio, audemus, tanquam ſpeciale *directorium*, imò *criterium* atque Docimaſiam, delineare; qualibus medicamentis in hoc genere plus fidere, atque hinc etiam inſiſtere conveniat. Nempè talibus, quæ 1) non enormiter *diuturno* uſu, tamen ſatis *ſenſibili-*

biliter juvant, nempè pathemata *mitigant*; 2) Quæ vel *non una* ſimplici doſi repentè, plurimum juviſſe videntur, ſed *ſucceſſibus* potius quibusdam, ita tamen proportionatè ut ſenſuum etiam teſtimonium conſpiret, ſecundum *proportionem* uſûs, *proportionem* etiam effectus, reſpondere: 3) Si medicamentis etiam, paulò *citiùs* juvare viſis, vera aliqua adjumenti ejusmodi *conſtantia* reſpondeat, neque valdè *tranſitorium* ſit, quodcunque perceptum eſt, levamen: 4) Si nullus ab hujusmodi medicamentis *ſtupor* aut *torpor* ſuccedens ſentiatur; nec in *capite*, nec in *corpore*, nempè *artubus*, *ſenſuumque* atque *motuum* libertate & promptitudine; 5) Si inſultus, non magis magisque *ſæpius*, ſed potius *rarius*, revertuntur, imò etiam ſimul *lenius*: aut certè *ut plurimum* leniores. Ubi nempè 6) certè cavere ſibi patientes, diſcere atque meminiſſe debent, ab ardelionum quorundam inſcitiſſimis nugamentis: Qui etiam hanc methodum damnant, eo argumento, quod neque hæc ipſa hujusmodi patientes verè *curentur*, nempè in *integrum* & *prorſus illibatam firmam ſanitatem* ita plenè reſtituantur.

LXXV.

Quemadmodum enim inter viros, indolis hujusmodi affectuum æquè, atq; veræ originis & conſpirationis eorundem, decenter peritos, ubi illi quam maximè jam *adſvetudinem* commotionum conceperunt, ſatis conſtare poteſt, quod, imprimis in *provectiore* jam ætate, his talibus etiam affectibus *vera ſolida atque conſtans curatio* vix unquam obtingat: Ita eſt tamen utique etiam, ſi maximè patientibus hæc tanquam præſuppoſititis ſincerè, modò prudenter, aperiatur, ab omni dubio alienum, quod multis modis malint, etiam ubi de ſolâ *mitigatione* & *præoccupatione* pathematum ſuorum ſermo eſt, talem potius *methodum* eligere, qua *certior*, *ſecurior*, *conſtantior*, minùs *ſumptuoſa*, minore *tædio* multiplicis aſſumtionis medicamentorum, minus *facilibus*, imò *promptis*, *perturbationibus* aut *exacerbationibus* expoſita, *rarioribus* atque

mitio-

mitioribus si qui utique recurrant, *insultibus* obnoxii, LENITIO talis conciliari possit: Quam contrariis modis non solum se habens, sed etiam subinde *novis*, & velut ordinariè *importunioribus* atque *periculosioribus* tandem, *transformationibus*, aut *consecutionibus*, exposita. Qua de re considerari potest Dissert. Dn. D. Præsidis *de Metaschematismis* morborum. Reliqua circâ res *nonnaturales*, *diætetica* gubernatio, his primariis allegatis institutis subordinari ita debet, ut in genere etiam justum & æqvum judicari potest.

Ita quidem speramus, satis defunctos nos esse officio & proposito nostro, circà USUM REGIMINIS varium & insignem, decenter commendandum, DEO TER OPTIMO MAXIMO pro præstito clementer subsidio, gratias decentes humillimè concinentes.

S. D. G.

